DESCRIPTIO RHEUMATISMI ACUTI,

ET

DILUCIDATIO

DUCENTORUM ET QUINQUAGINTA APHORISMORUM HIPPOCRATIS

AD

RHEUMATISMUM TUM ACUTUM TUM CHRONICUM;

ITEM

ad PHRENITIDEM, & PARAPHRENITIDEM, ad PLEURITIDEM, PERIPNEUMONIAM, PLEURO-PNEUMONIAM & ANGINAM, DUOBUS LIBELLIS PRIORI ANNO A ME DESCRIPTAS, PERTINENTIUM.

DATA

A

FERD. SAALMANN,


MEDICINÆ DOCTORE.

MONASTERII:

SUMPTIBUS PHILIPPI HENRICI PERRENON,

1789.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



LECTORIBUS FELICITATEM!

Memorabilis, & plane ſingularis, quam *Status* patriæ nuper publicis in *Comitiis* animo benevolentisſimo, & voce quidem unanimi, conclamante ſimul populo, in me teſtati ſunt, gratia gratum impulit animum, ut in favorem Medicorum tyronum novum mihi laborem imponerem, & ea, quæ deſcriptioni *Phrenitidis* & *Paraphrenitidis* die trigeſima Junii 1788, & deſcriptioni *Pleuritidis*, *Peripneumoniæ*, *Pleuropneumoniæ* & *Anginæ*, die vigeſima octava Decembris 1788 a me datæ adhuc adjicienda esſe arbitror, non relinquerem inconſummata.

Ex his enim descriptionibus dilectis innotescit amicis, quod non alios in arte sua peritissimos viros, nisi solum *Hippocratem*, adductæ a me sententiæ testem adduxerim; oportet itaque in mox sequentibus a me ostendi constantem tanti Præceptoris in observationibus suis veritatem, quam longa convictus experientia cum magno *Galeno* veracissimam pronuntiare cogor, ita ut nefas sit, si non magnum summi viri *Hippocratis nomen* immoto fodiatur in marmore.

Porro sincerus meos erga amicos amor imperat mihi, binis superius dictis descriptionibus adhuc aliqua adjicere, & citatos in illis *Hippocratis* aphorismos eorumque sensum, quantum labor meus, observatio mea, meique permittunt ingenii limites, aliquo modo, præsertim ubi dicta ejus obscuriora esse videntur, uberius explanare.

Quis enim negare poterit, quod magnus hic vir, quo rudior suo tempore in anatomicis erat, eo illustrior nostro tempore in observationibus, & dogmatibus suis practicis sit? Sane non alius, nisi is, qui cum perspicaci observatione, & indefessa scriptorum ejus lectione sagax consilium conjunxerit, scripta tanti viri intelligentia attingere præsumet.

In præfatione hac tantum memorabo bina hæc ejus dogmata:

I. *Paraphreniticos* præſertim *Phreniticos* deſinere *tremulos:*

Id eſt circa mortem tremoribus artuum, muſculorumque faciei &c. per intervalla affici.

II. *Phrenitidem* præſertim *Paraphrenitidem* ætatem conſtantem adeptis non ſolum frequentisſimam, ſed & periculoſisſimam esſe.

Hippocrates magnus hic artis medicæ princeps & hodiernam theoriam, & hodiernas obſervationes practicas penitus confirmat. Ego enim diuturna & acri confirmatus experientia ſummi viri dogmata in praxi mea vidi verisſima, & certisſima, adeoque & theoriæ, & dogmatibus practicis ſumme conſentanea: *Phreniticos* deſinere tremulos, quis prudens negabit practicus? Omnes paraphreniticos obſervavi ipſemet deſinere tremulos, & convulſos: unde

1. Juſtisſime amplexus ſum veritatem hujus dicti Hippocratici, & in his morbis errantem adesſe ordinem totius ſyſtematis nervoſi, aut male affecti, aut ſaltem mirum in modum turbati, indubitanter ſtatui: id quod in capite ex comitibus deliriis, ex oculis torvis

& ſpontaneis illacrymationibus, ex ſurditate, &c; in pectore ex ſumme læſa reſpiratione; in abdomine ex gravisſimis inde natis in officina naturali turbis, denique in artubus ipſis vel convulſis, vel immani affectis dolore, vel ſaltem trementibus, luculentisſime mihi, etſi ejus cauſam non ſatis comprehendam, hactenus ſemper apparuit: quod etiam in Phrenitide primaria, præſertim ſymptomatica nemini mirum videri poteſt, qui ſimili fere modo vocis interceptionem conſenſualem ex vermibus inteſtinorum, tot morbos capitis conſenſuales vitio ſaltem ventriculi obortos, qui porro ex Dyſenteria, & graviori ſic dicta colica, brachiorum, & crurum paralyſes, & multa alia per conſenſum ex imo ventre admiranda hujusmodi ſymptomata quotidie obſervari reminiſcitur. Inde patet quoque ratio, cur pridem ab *Hippocrate* jubeamur, in his morbis primario ad præcordia attendere.

2. Si quis pervivaci oculo noſtris temporibus attenderit ætatem hominum conſtantem, vel ante multis fractam morbis, vel juvenilibus in annis, vel etiam poſtea per intemperantiam, per crapulam, aut ſimile quid labefactatam, indeque aperte natam viscerum imi ventris debilitatem, id eſt atoniam, atque ex hac vel ortas, vel certe pediſſequas perſæpe turbas circuli ſanguinis in viſceribus abdominis chy-

chylopœis, præſertim in reditu ſanguinis per hepar necesſario ſecuturas, hic quoque certe mirari nequit, cur *Hippocrates* rectisſime dixerit: Alvum cruentam, id eſt hæmorrhoides profuſas & phreniticis, & paraphreniticis optimas esſe.

Quis porro inficias ire poterit, *Hippocratem* in obſervationibus, & dogmatibus ſuis practicis fuisſe fidelem? Quem inter veteres ſecutus eſt magnus *Trallianus*, qui duce ſuo fidus juſte coarguit præcipites in ſtatuendo illos, qui forte permoti illa & phreniticis & paraphreniticis communi, peripneumonica, id eſt valde anhela, ſuſpirioſa, aut ſaltem ſemper laborioſa reſpiratione, in ſolo diaphragmate inflammato primariam cauſam paraphrenitidis incaſſum quærunt: quos certe præcipua paraphrenitidis ſymptomata, ut nauſeæ, vomituritiones, vomitus bilioſi, præcordiorum tenſio, pulſatio, eorumque gravis dolor, ſeceſſus multi bilioſi, color univerſi corporis apud nonnullos ictericus & ſæpe concomitantes ſeceſſus albicantes, ſingultus ipſe, (argumenta hepatis & ventriculi graviter læſorum quin ſubinflammatorum) aliaque manifeſtisſimo conſilio a ſententia ſua repellere deberent.

Magnus itaque Trallianus, ſine dubio accuratiori experientia perſuaſus ſe illis, qui

contra

contra mentem Hippocratis paraphrenitidem in ſola diaphragmatis inflammatione quæſiverunt, juſte oppoſuit & incepit paraphrenitidem appellare: phrenitidem notham, ſive ſpuriam, ſed rectisſime illam phrenitidem conſenſualem aut ſymptomaticam dixero, quia non male cum acuta quadam melancholia comparanda erit, pro qua ſententia etiam mecum ſtant Illuſtres *Göttingenſes* * & *Tremonienſes.* **

Attamen non proderit hic multis de nomine rerum litigare, ſed oportebit me pergere ad illud, quod in his paginis mihi propoſui, ut tentem, an ſenſum Hippocratis in aphorismis illis, de quibus in Deſcriptionibus ſupra dictis de phrenitide & paraphrenitide, & de pleuritide &c. mentionem feci, ſaltem conjectura aſſequi valeam.

Aſt antequam me hunc ad laborem accingam, adhuc de morbo aliquo inflammatorio Monaſterienſibus frequente, & pleuritidi, aliisque morbis pectoris inflammatoriis, in deſcriptione mea de 28va Decembris 1788 propoſitis, valde affini id eſt rheumatismo acuto brevisſime agam, & ideo hunc cum morbis pectoris conjungere

* Die gelehrten Anzeigen im 26ſten Stück vom 14ten Februar 1789.

** Der Herr Dr. Kortum zu Dortmund in ſeiner praktiſchen mediziniſchen Bibliothek im 3ten Stück.

jungere ſtatui, quoniam & curatio & cauſæ ejus cum pleuritide penitus eædem ſunt.

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Rheumatismus acutus verisſima quædam febris inflammatoria eſt cum inflammatione aut plerarumque, aut ſi gravisſimum malum ſit, omnium muſculoſarum corporis partium. Invadit cum vehementisſimo rigore inſtar pleuritidis, quem deinde reliquus, ordinariusque febris acutæ trames ordinario quotidianæ remittentis, vel quotidianæ ex tertiana typo conſequitur: in morbi principio dolent acute muſculi unius fere ſaltem vel alterius membri, & ſi muſculi ſtrati ſuperioris occupentur, tumor ſæpe maximus eſt cum vehementisſimis doloribus, ut ne tactum quidem, ſæpe ne levisſimum ſtragulum æger ferre posſit: aliquando etiam cum vehementisſimo dolore nullus quidem tumor in initio adeſt, præſertim ſi muſculi profundiores occupentur, donec inflammatio deinde ad externos muſculos progrediatur,

Quid ſit rheumatismus acutus

quomodo invadat

ejus decurſus

obſervationes practicæ

Tumor membrorum aliquando phlegmonodes eſt, aliquando ſtrias, & velut ex flagris vibices concipit, foveas tamen nullas ab impresſo

preſſo digito, ut Oedema proprie dictum ſervat.

Raro etiam inflammatio æquabiliter omne corpus afficit, niſi in malo acutisſimo, ſed ex alio membro in aliud veluti progreditur.

Obſervationes practicæ.

Aliquando etiam pesſimo omnine in interiora incumbit, & tum in incremento, & vigore morbi gravisſima ſe ſe addunt ſymptomata, ut phrenitides, anginæ, & omnium frequentisſimæ pleuritides & peripneumoniæ ſymptomaticæ, inflammationes inteſtinorum, & alia inflammatoria mala: idque contingit non ſolum, ſi dolores inflammationesque externarum partium valde acutæ & lancinantes fuerint, & iſtiusmodi dolores citra rationem & veram criſin ceſſaverint; ſed etiam, ſi in vehementi morbo & exteriora, & interiora ſimul affligantur:

Neque rarum eſt, quod vigenti morbo addatur purpura tum proprie dicta, tum miliaris ſed periculo minime carens. Decurſus pro vehementia inflammationis raro infra quatuordecim dies terminari obſervatur, plerumque tres hebdomadas imo longius durat, & tum ex ſerie complurium acutarum veluti recidivarum conſtat.

Criſis cum obſervationibus practicis.

Criſis alia eſt perfecta cum ſudoribus profuſiſſimis, urinis coctis, ſedimenta multa cœnoſa, lateritia, tandemque alba habentibus; alia eſt imperfecta, ſuccedente aut purpura, aut metaſtaſi quadam ad interſtitia muſculorum, vel extrema tendinum, aponeuroſiumque, in quibus tumores, nodique initio molles, deinde duri, contractis etiam articulis, immobilibusque redditis, inhærent, quos in cadaveribus, gelatina quadam compactiori, in celluloſa interſtitiorum, & vaginas tendinum, horumque celluloſa involucra effuſa, opertos magni viderunt practici.

Quid appareat ſub ſectione anatomica

Obſervationes practicæ

Aliquando abſceſſus ad ſuperiora, vel inferiora ſubſequuntur; aliquando quidam musculi longo tempore tumidi obtuſo cum dolore permanent; aliquando ſuperveniens alia acuta, vel febris intermittens, vel morbus aliquis cutaneus, maxime ſcabies humida, & quibusdam veteribus ſic dictæ phlyctænæ, id eſt, quædam quaſi ex ambuſtione ortæ veſiculæ, ſero plenæ & in eſcharas abeuntes, cum febre aliquando chronica vel comites, vel reliquiæ morbi ſunt, quæ viciſſim apparent, viciſſim diſparent, redeuntque iterum: ſic quoque purpura utriusque generis viciſſim diſparens, rediensque cum vel ſine febre, mali ſæpe comes eſt, & tamen ad eliminandas morboſi humoris reliqui-

as auxilio & vi ſua ſymptomatici hi morbi nullatenus inutiles obſervantur.

Egregie magnus Sydenhamus de hoc morbo ſcripſit, qui cum ſedulitate legendus, & juſte imitandus eſt.

de cauſis rheumatiſmi acuti

Cauſa proxima rheumatismi acuti non alia eſt, quam pleuritidis; conſimilis enim in utroque morbo ſanguinis conditio eſt; neque dispares eſſe cauſas antecedentes, & procatharticas vero ſimillimum eſt.

Nimius e carnibus victus, rarefacientium abuſus, præſertim ſpirituum ardentium merito hic accuſandi ſunt: quibus etiam de cauſis hic morbus boreali cœlo familiarior eſt, quam auſtrali.

Brumale tempus, nec raro vernum æſtivumque, ſubitaneis caloris, & frigoris vicibus conjunctum, & hic merito incuſandum videtur; nam omnibus his de cauſis ſanguis inflammatoria gelatina obruitur: iisdem etiam de cauſis multis locis Epidemii rheumatismi graſſantur, quin & aliquando Endemii.

Curatio

In curatione eædem prorſus obſervandæ ſunt indicationes, idemque ordo, & delectus remediorum, ac in pleuritide & conſimilibus af-

affectionibus: protinus vena ſecanda erit eodem die pro modo neceſſitatis, vel poſtridie: alvus vel obiter & iterum poſtridie, vel protinus data opera ducenda erit, ut penus materiæ inflammatoriæ ex primis viis mature exhauriatur, ne reſorpta in ſanguinem, malum uberius augeat.

Vena ſecanda

obſervationes practicæ

Videndum etiam, ſi nulla pectoris anguſtia, vel peripneumonia, aut pleuritis ſymptomatica minetur, an Vomitorium poſtridie dari poſſit: repetenda dein Venæ ſectio, de qua iteranda prudentia medici ſtatuet.

uſus vomitorii

Protinus inſuper medicamenta antiphlogiſtica, prorſus ut in pleuritide eodem ordine per omnem morbi decurſum inter eandem diætam junctis circa vigorem Diaphoreticis itidem, ut in pleuritide, eligenda & adhibenda erunt. &c.

Si pleuritis vel peripneumonia ſymptomatica inciderint, repetenda erit Venæ ſectio, deliriis minantibus veſicatoria opponenda erunt.

obſervationes practicæ

Si purpura accedat, eidem methodo inſiſtendum erit junctis mitioribus diaphoreticis, præſertim ex ſpiritu Tartari & conſimilibus, atque hoc modo per omnem morbi decurſum medendum erit, dum declinatio vel perfecta, vel imperfecta ſequatur, quæ itidem mera an-

 ti-

tiphlogiſtica optime requirit, ſive ad abſceſſus, ſive ad nodos, ſive ad recidivam, ſive ad purpuram iteratam, ſive ad intermittentem febrem, reliquiarum morbi vindicem, res pervenerit.

Finitis his pauperioribus diæta exactior, vel decocta lignorum nitroſis juncta, ditioribus acidularum uſus, omnibus ſerum lactis ad quatuordecim dies & ultra, una cum diæta febrili convenient.

Atque hæc de morbo hoc, gracili narrata calamo, tyronibus medicis inſerviant.

Pauca tantum ex Coo Sene Hippocrate, rheumatismum tum acutum, tum chronicum, in acutum frequentiſſime tranſeuntem, exprimentia & utrumque vividiſſimis coloribus adumbrantia effata præmittam, tum celeri calamo properabo ad dilucidandos aphorismos, in deſcriptionibus phrenitidis, paraphrenitidis, pleuritidis, peripneumoniæ, pleuropneumoniæ & anginæ a me citatos.

DILUCIDATIO APHORISMORUM HIPPOCRATICORUM AD RHEUMATISMUM UTRUMQUE SPECTANTIUM.

APHOR. I.

Qui crebro, & ſine intermiſſione leves & fugitivos ſudores habent cum hypochondrii intenſione, plerumque maligne habent, & do-

dolores in ſummum humerum, vel acromion, & claviculam fixi in his pravi.

DILUCIDATIO.

Textus hic vivam vel phrenitidis primariæ, vel phrenitidis ſymptomaticæ rheumatismo acuto mox ſucceſſuræ, imaginem abunde exprimit.

APHOR. 2.

Quibuscunque cum febre ardente tumores ſomnolenti, torpidique contingunt, hos dolor in latus incidens apoplexiæ inſtar interimit.

DILUCIDATIO.

Hic textus obſcuriſſimus eſt illis, qui decurſum rheumatismi acuti non viderunt, omnino autem ad hunc pertinet, neque aliquid magis perſpicuum eſſe poteſt ex hac ratione, quoniam rheumatismus acutus, qui corporis univerſi, præſertim muſculorum quædam inflammatio cum febre ſatis gravi & vehementi eſſe ſolet, ſub incremento, præſertim ſub exacerbationibus, cum dolore in variis corporis partibus, præcipue in externis increſcit: cumque iſte graviſſimus dolor ſit inflammationis cujusdam ſoboles, muſculi inflammati, præſertim in ſuperficie ſiti, neceſſario tument, iisque locis modo maculæ, ſugillationum inſtar, modo vibices apparent: non raro quoque musculi etiam colli & faciei ſic afficiuntur, inter-

dumque

dumque Eryſipelas capitis adeſſe videtur, cumque torpidi, & ſomnolenti quam maxime ſunt ægri, quandoque etiam in rheumatismo graviori torpor & ſopor ipſe adeſſe ſolent, & quidem eo tempore, ſi tumor alicujus membri ſubito evaneſcat: atque hi ſunt iſti tumores ſoporoſi, & torpidi, de quibus textus loquitur.

Dolor in latus incidens eſt pleuritidis, vel pleuropneumoniæ ſymptomaticæ ſpecies, rheumatismo acuto frequentiſſima, quin etiam peripneumoniæ vera quædam ſpecies, ex impedito ſanguinis inflammatorii per pulmones tranſitu oborta: & cum pleuritici, pleuropneumonici, ac peripneumonici ſub ſtadio inflammatorio, apoplectico modo pereant, facile patet, unde in hoc caſu dolor in latus incidens apoplectico modo occidat:

Quippe hæc pleuritis, vel pleuropneumonia, vel peripneumonia ſymptomatica rheumatismi in interiora decumbentis, vel generatim vehementioris index eſt, impeditoque ſanguinis per pulmones tranſitu, cum vigore alicujus exacerbationis mors ſæpe inopinato conſequitur.

APHOR. 3.

Quibus in febre, oborto lateris dolore, alvus dejicit multa ſeroſo-bilioſa, hi levantur.

DI-

DILUCIDATIO.

Et hic textus pertinet ad rheumatiſmum acutum, itemque ad omnes acute febrientes, rheumatiſmo antea quomodocunque obnoxios; nam dolor ille lateris nihil aliud eſt, quam rheumatiſmus muſculorum pectoris, & intercoſtalium ſive pleuritidis ſpuriæ ſpecies, ſymptomaticæ quidem, & aliquando degeneraturæ in veram pleuritidem, niſi venæ ſectione occurratur: hic rheumatiſmus (teſte experientia) oborta diarrhœa aquoſo - bilioſa levari ſolet.

APHOR. 4.

Qui diutule, paulatimque dejecto appetitu conflictantur, ſudantque cum bono faciei colore, & alvo liquida, præſente etiam Cardialgia, hi ubi diutius ſic ægrotarunt, tandem peripneumonico modo moriuntur.

DILUCIDATIO.

Explicatu difficilis quidem hic textus videtur, ſed perſpicuus eſt illi, qui rheumatiſmum chronicum viderit, riteque obſervaverit; ad hunc enim omnino pertinet ita, ut nihil me judice expreſſius eſſe poſſit: rheumatiſmo chronico conflictati diutule dejecti appetitus ſunt, leniter febriunt, mane potiſſimum ſudant, bonum & floridum faciei colorem habent, car-

cardialgias patiuntur, cum plerique hæmorrhoidibus interceptis ſimul laborent, aut vi ſanguinis inflammatorii intro interdum decumbente, atque diutius vagisque circuitibus ſic adfecti, in vere, vel autumno peripneumonicorum vel pleuriticorum more moriuntur aut ſaltem peripneumonia notha extinguntur.

Rheumatismo multum eſt commune cum hisce febribus inflammatoriis: in acuto ſanguis, pleuriticorum inſtar, cruſtam inflammatoriam habet, in chronico ſanguis naturali denſior eſt, & quidem non ita, nec ſumme inflammatorius eſt, attamen indoli inflammatoriæ propior; omnes enim rheumaticorum dolores ſunt a muſculis vel leviter, vel pluſculum inflammatis: bonum faciei colorem morbi longi eſſe indicem alibi quoque dixit *Hippocrates.*

Colluvies iſta rheumatica per ſudorem, & alvum quidem aliquo modo interdum levatur, & minuitur, diſpoſitio ad malum tamen manet; ideoque ſi præſertim anni tempus faveat, facillime rheumatici in pleuritides, & pleuropneumonias incidunt, & niſi ſapiens Medicus tum per juſtas venæ ſectiones ingruenti malo occurrat, peripneumonico modo facile ſuffocantur. Legatur hic potiſſimum *Sydenhamus.*

Neque

Neque etiam alia de causa cæteris paribus hic loci, perque omnem viciniam Monasteriensem adeo frequentes sunt febres pectoris inflammatoriæ, quam quia rheumatismus, victus rationes secutus, hæreditarium & endemium plerisque vitium est.

APHOR. 5.

Febres ex doloribus vehementibus diuturnæ.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad omnes febres continuas ex doloribus ortas, adeoque symptomaticas ex doloribus articulorum, arthritidis, intestinorum, præsertim ex rheumatismo: si his omnibus accedat febris, quæ ante non adfuit, affectio diuturnior erit idque eo magis, quo levior febris est, & generatim, si febris ista mensis ambitum excedat.

APHOR. 6.

In acutis motitatio, jactatio, somnus turbulentus nonnullis designat convulsionem.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad febres acutas, si nimirum hi illis afficiantur, qui Epilepsiæ, vel

paſſioni hyſtericæ, vel (teſte experientia) rheumatismo obnoxii ſunt; uti enim inquies citra rationem in aliis delirium; ſic illa inquies hic motus ſpasmodicos ſaltem digitorum in manibus, & pedibus, ulnarumque, aut muſculorum faciei deſignat.

APHOR. 7.

Varie ægrotantibus, & mente offendentibus, crebro ſoporoſis, dic nigrum vomitum affore.

DILUCIDATIO.

Licet memorabilis hic textus ad melancholiam, paſſionemque hypochondriacam præſertim in ſenioribus ſpectet, tamen in his malis ſimul conjunctum rheumatismum chronicum veriſſime exprimit:

Nam varie ægrotare; eſt vices imbecillitatis, & incolumitatis multiformes experiri, quales ſunt hypochondriaci, & rheumatismo chronico afflicti: inter hæc ſubinde leviter mente moveri, melancholicorum eſt, præſertim confirmatiorum: ſubinde his omnibus proprium eſt ſoporum invaſiones pati; hi enim morbi non ſunt ſine difficili ſanguinis per hepar reditu:

Ad

Ad venam portæ præſertim ad ſplenicam pertinent venæ ventriculi: hinc niger vomitus, hic eſt veriſſimus vomitus cruentus, quosdam mirifice levans, atque hic verus eſt difficillimi hujus textus ſenſus.

APHOR. 8.

Tumores juxta aures in morbis longis, parvæ ſanguinis fluxiones, & ex his vertigines perniciales.

DILUCIDATIO.

Morbi chronici ſive longi hic potiſſimum ſunt paſſio hypochondriaca confirmata, confirmata melancholia, rheumatismus chronicus, & omnes viſcerum imi ventris obſtructiones: in talibus parvæ narium hæmorrhagiæ, vertigines, tumores juxta aures tarde increſcentes, & viciſſim diſparentes, quin ex iisdem tumoribus glandularum tum ſalivalium, tum lymphaticarum merito metuendi: atque demum enati ſcirrhi (docente experientia) mortis non diu abſentis ſignum ſunt; ſic, qui viderit melancholicum confirmatum parva ſanguinis ex alterutro nare ſtillicidia pati cum vertigine, ſtupore, & inquietudine, mortem apoplectico modo imminere, prædicere poteſt.

APHOR. 9.

In febribus longis tubercula, aut dolores fiunt in articulis, & ſi facti fuerint, non ſunt inutiles.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad quaſcunque febres acutas, terminum ſuum egreſſas, & in longiores verſas v. g. diuturnas intermittentes, & alias ſuapte natura ſua longas febres, præcipue in illis corporibus, quibus privata quædam ad arthritidem veram opportunitas eſt, vel etiam ad rheumatiſmum ipſum, etſi in hoc tubercula illa, rarius in articulis, frequentius vero in muſculorum interſtitiis, & circa tendines, & aponeuroſes enaſcantur.

Sunt autem hi tumores conſequens quoddam criſeos imperfectæ, & metaſtaſis quædam.

APHOR. 10.

Quibuscunque in febribus venæ in temporibus pulſant, & facies ſanorum ſimilis, & præcordium non molle, diuturnum morbum ſignificat non deſiturum ſine magnis narium hæmorrhagiis, aut ſingultu, aut ſpasmo, aut iſchiade.

DI-

DILUCIDATIO.

Textus aptiſſimus ad præſagiendam ex febre acuta diuturnitatem; etſi enim alia alibi in Hippocrate febris acutæ in longam tranſituræ occurrant ſigna, E. G. ſi cum ſignis bonis, ſive etiam malis ſignis, ſanaque facie ſudor cervicis adfuerit, attamen in hoc textu allata ſigna his merito addenda ſunt:

Ita quoque ubertim docet experientia, quod febribus acutis frequentiſſime rheumatismi, in hoc textu per Iſchiadem deſignati, ſæpe ſpasmi varii, ſæpe inteſtinorum diuturni dolores præſertim in rheumaticis corporibus ſuccedant; ſed ſi hæc ſigna, aut quædam horum non conſecuta fuerint, plerumque narium hæmorrhagia ſequatur: quæ omnia accuratiori obſervationi veriſſime conſentanea ſunt. Illud, quod in hoc textu Hippocrates memorat de venis in temporibus pulſantibus, pertinet ad arterias temporales, quin etiam ipſas carotides arterias pulſantes.

APHOR. II.

Quibus ſæpe recidiva contingit, his ſemeſtre tempus transgreſſis, tabes coxaria leniter accedit.

DILUCIDATIO.

Et hic textus videtur valde obſcurus eſſe, ſed manifeſte loquitur de rheumatismo chronico, qui nempe morbus ſæpe recurrens eſt; huic tandem lumbago rheumatica ſive iſchias rheumatica, in hoc textu per tabem coxariam deſignata, accedit, & niſi largus hæmorrhoidum, vel alius ſanguinis fluxus contigerit, diutiſſime durat, & tandem in aſcitem, aut tympanitem abiens, deplorabilem finem habebit.

APHOR. 12.

Septima die, aut nona, aut undecima, aut decima quarta ſanguinis largi ex naribus fluxus plerumque febres ſolvunt, pariter etiam alvi fluxus bilioſus, aut dyſentericus, aut genuum coxendicumque dolor, aut urina ad criſin concocta, in muliere vero etiam menſtruæ purgationis fluxus.

DILUCIDATIO.

Præclarus hic criſeos textus pertinet ad vigores febrium acutarum; fluxus ſanguinis hic intelligantur largi, non vero pauca ſtillicidia ſanguinis, quæ ſane in his, uti in aliis malis chronicis ſuſpecta ſunt, & periculum denuntiant; alvus dyſenterica, aut vox dyſenteriæ generatim apud Hippocratem pro alvo quacunque

cunque cruenta occurrit, ſive adſit dyſenteria, ſive alius alvi fluxus cruentus v. g. hæmorrhoidalis, pro quo hi alvi fluxus copioſi veraciter habendi ſunt: genuum, coxendicumque dolor ſuccedaneum rheumatismum, vel etiam arthritidem horum locorum fixam, & præcipue in corporibus ad hæc mala opportunis manifeſte deſignat; Urina cocta hic intelligenda eſt ea, quæ circa veram criſin ſe ſe offert, minime vero quocunque tempore cocta urina, tantum ſimulacra criſeos præbens, hic pro vera urina cocta ſive critica habenda erit.

APHOR. 13.

Surditas in acutis, & turbulentis ſubſequens malum, malum etiam in longis, in his autem dolores deducit ad coxas, & femur.

DILUCIDATIO.

Aureus hic textus eſt: per acuta, & turbulenta morborum genera hic intelligendæ ſunt febres inflammatoriæ ſigillatim phreniticæ, peripneumonicæ, petechiales, exanthematicæque aliæ, in quibus omnibus ſurditas imminentis delirii ſignum eſt: hæc ſurditas non tantum præſagium eſt, imminentis delirii phrenitici ſumme periculoſi, ſed etiam in morbis chronicis, præſertim melancholia & mania,

ma-

manifeſtiora deliria (teſte experientia) antecedere ſolent:

Dolores illi iſchiatici in morbis longis pertinent ad arthriticos & rheumaticos, qui, ſi in his malis fortius demum conjunguntur, vel & mala hæc conſequntur, lenimen ſurditatis afferre ſolent.

APHOR. 14.

Abſceſſus ad aurem in morbis longis ſuppurati pure non omnino albo, & inodoro occidunt, ſed maxime mulieres.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad abſceſſus ad aures in omnibus chronicis, ut arthritide, rheumatismo, cachexia, & omnibus hujus ambitu comprehenſis morbis.

Difficile autem dictu eſt, cur mulieres inde pejus habeant, quod forſan ex menſtruis, in his malis ſuppreſſis, deducendum eſt: quoniam dictum hoc veriſſimum eſſe praxis confirmat, hinc merito accuratiori obſervatione eget.

APHOR. 15.

Vox acuta clangentis inſtar, & oculorum obſcuratio convulſorium; his dolores ad inferiores artus commodi.

DI-

DILUCIDATIO.

Etſi hic textus de imminente paroxismo epileptico quam maxime loquatur, dolores tamen ad inferiores artus maxime pertinent ad illos, qui ſimul rheumatismo obnoxii ſunt; in rheumaticis enim uti rheumatismus in interiora retrocedens varia capitis, thoracis, & abdominis mala procreat, ſic decubitus ejus ad inferiora, niſi univerſalis, & graviſſimus rheumatismus fuerit, mirum in modum alia mala interna levat.

APHOR. 16.

Decolores graciles ſputantes; in his per ſomnum ſudores boni: num vero & horum plurimis ſine ſudore levari non malum eſt? dolores ad inferiora his commodi.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad rheumatismum chronicum; dolores ad inferiores partes deſignant rheumatismi ante vagi ad crura metaſtaſin: nam, dum vagus erat, varias capitis, pectoris, abdominisque affectiones excitare poterat.

APHOR. 17.

Quibus repente, ſine febre quidem exiſtentibus, hypochondriorum, & circa pilorum dolor, atque ad crura, internasque partes, & alvus tumet, ſolvet venæ ſectio, & alvi fluxus, his nocuum eſt febrire, longæ enim, & vehementes febres fiunt, & tuſſes, & reſpiratio difficilis, & ſingultus: his autem ad ſolutionem tendentibus dolor fortis coxarum, aut ſputum puris, & cæcitas ſuccedit.

DILUCIDATIO.

Aureus hic textus expreſſiſſimam rheumatismi chronici imaginem exhibet, & ex inflammatoriæ colluviei in varias partes decubitu varia mala præſagit:

Præcordia hic generatim regionem hypogaſtricam, interdum & ilia, regionemque umbilicalem deſignant: pilori dolor eſt cardialgia, quæ cum reliquis malis ſignis præſentibus interiorem inflammationem imminentem arguit; hinc venæ ſectio vel diarrhœa magnæ utilitatis ſunt.

Febrire ob allatas, ſatisque perſpicuas cauſas periculoſum eſt; nam longæ illæ, & vehementes febres ſunt continuæ quotidianæ ex tertiana aut ſaltem hunc typum plerumque ſequentes:

quentes. Tuſſes, & orthopnœæ ſunt pleuritides, & peripneumoniæ ſymptomaticæ, quibus niſi largis venæ ſectionibus, & methodo antiphlogiſtica ſuccurratur, Iſchias quædam, aut ex pleuritide, peripneumoniaque ſymptomatica phthiſis, aut aliquod grave malum capitis, nervoſique generis, & in his cæcitas ſuccedere poteſt, niſi natura venæ ſectionibus, & antiphlogiſticis adjuta, per ſudores, per cœnoſas urinas, per purpuræ ſpeciem, quam ſcorbuticam vulgo vocant, aut per intermittentem febrem præſertim tertianam, quartanamve ſe ſe vindicaverit.

APHOR. 18.

Quibus præcordia nonnihil tenſa, facies ſana, non liberantur citra ſanguinis multi fluxum ex naribus, aut convulſionem, aut iſchiadem, vel dolorem coxarum.

DILUCIDATIO.

Textus hic referendus eſt ad febres acutas non omnino exquiſitas, ſed leviores præſertim in corporibus rheumatismo chronico obnoxiis.

Facies in acutis pro morbi ratione non admodum mutata, ſed ſanorum ſimilis diuturnitatem morbi, tranſitumque ejus in chronicum morbum deſignat.

APHOR. 19.

Dolores hypochondriorum, vel præcordiorum in febre cum vocis quadam interceptione soluti sine sudore malum, his dolores ad Ischia.

Dolores in febre prosilientes ad hypochondria vel præcordia, id est vicissim impetentes, soluti sine sudore, maligni sunt, his fiunt dolores ad Ischia, unaque cum febre ardente alvus erumpens pernitiosum.

DILUCIDATIO.

Uterque textus de irrito hæmorrhoidum in febribus acutis molimine, quocunque morbi tempore invadente, loquitur; maxime in corporibus rheumaticis dolores ad Ischia inde oriuntur: alvus autem erumpens cum febre ardente lethalis dicitur, quoniam acutæ hujusmodi, de quibus hic sermo est, in febres vel pectorales, vel etiam inflammatorias intestinorum maxime vero pectoris facillime abeunt: nam si pleuriticus, undecunque pleuritis accesserit (quæ hic symptomatica esse & rheumatismo frequentissime supervenire solet) vigorem morbi sui assecutus, & tum diarrhœa correptus fuerit (non enim de alia diarrhœa, quam hujus temporis scilicet, quæ in vigore morbi

morbi ſupervenit, intelligendus eſt Hippocrates) in hoc dico tempore mors in propinquo erit.

APHOR. 20.

Ex dorſi dolore principia morbi difficilia.

DILUCIDATIO.

Textus hic ad omnium febrium acutarum, & generatim morborum acutorum initia pertinet, maxime ad febres malignas, phrenitidesque, quin & rheumatismos acutos:

Probe autem omnia attendenda ſunt, ne quilibet dorſi dolor E. G. ex leviore rheumatismo, eoque chronico, aut ex hæmorrhoidibus, aut ex menſtruis ortus fallat.

APHOR. 21.

Spinæ diſtenſionem, & ſpirandi difficultatem ſolvit ſanguinis fluxus.

DILUCIDATIO.

Textus hic loquitur de moliminibus hæmorrhoidalibus, præſertim in corporibus rheumatismo chronico obnoxiis.

Spinæ diſtenſio eſt dolor aliquis tenſivus cum immobilitate quadam maxime a ſpasmo quodam muſculi extenſoris magni dorſi, & lumborum ortus, ex quo cauſa illa orthopnϾ luculenter patet.

APHOR.

APHOR. 22.

Ex lumbis ad collum & caput veluti quædam aſcendere viſa; reſolutionem quandam, vel paralyſin paraplectico modo inducentia, ſpasmodica, ſubdelira ſunt, an vero & hæc ſolvuntur convulſionibus? Ex his varie ægrotant, ſi ſub his diutule trahantur ægri.

DILUCIDATIO.

Quo obſcurior hic textus apparet, eo clarius loquitur de rheumatismo chronico, cui hæc omnia manifeſto competunt.

APHOR. 23.

Dolores diuturni circa lumbos, & illa, atque ad hypochondria cum appetitu ciborum proſtrato, neque ſine febre, his dolor repentinus ad caput progreſſus ſubito mortem infert ſpasmodico modo.

DILUCIDATIO.

Et hic textus manifeſte pertinet ad rheumatismum chronicum in inteſtina, & viſcera chylopœa imi ventris, maxime decumbentem: ex his ſi aſcendat, inflammatorii ſanguinis glebis ad caput & pulmones allatis, mors ſubitanea ſæpe conſequitur, niſi largis venæ ſectionibus occuratur: plerumque in hujusmodi

ægris

ægris molimina hæmorrhoidalia, turbatusque ſanguinis per hepar reditus ſimul junguntur.

APHOR. 24.

Qui circa membra phlyctænas, & puſtuas valde rubras, & ſuperficiales habent, & ſuperriguerint, hi rubeſiunt ventre & inguinibus tanquam ex plagis doloroſis, & moriuntur.

DILUCIDATIO.

Obſcuriſſimus hic locus pertinet ad rheumatismum acutum, puſtulæ ſuperficiales rubicundæ ſunt purpura ſic dicta ſcorbutica rheumaticis ejusmodi accedens: ſuperrigere denotat initium novæ febris, quacum nova ejusmodi exanthemata & præſertim rubræ vibices velut ex plagis factæ oboriuntur; moriuntur hujusmodi ægroti accedente peripneumonia ſymptomatica, niſi juſtis ſanguinis miſſionibus graviſſimo morbo occuratur.

Atque hæc ſunt notatu digniora effata, quæ Hippocrates de utroque rheumatismo, tum acuto, tum chronico, poſteritati reliquit.

Propero jam ad propoſitum meum, ut ſolvam promiſſa, & tentem, an aliquo modo ſaltem conjectura attingere mentem ſapientisſimi Senis. & citatos a me in deſcriptione phre-

nitidis

nitidis & paraphrenitidis Monasteriensibus vere contagiosarum, aphorismos dilucidare possim. Repetam eos hic juxta ordinem, quo pagina 34 & seq. positi sunt, ut eo clarius Tyronibus medicis in obtutum veniant.

APHOR. 1.

Horridi, caput dolentes, fugitivos sudores habentes, maligni quid præsagiunt.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad initia febrium malignarum in genere, eumque sequens textus adhuc clarius explicat.

APHOR. 2.

Qui in principio sudant urinis coctis, vagosque æstus horroribus vicissim distinctos habent, torpidi, soporosi, tremuli perniciose habent.

DILUCIDATIO.

Etsi bini hi textus non longa explicatione egeant, oportet tamen illis quædam me adjicere:

Quid sit morbus ordinarius? Quid malignus?

a) Uti morbus ordinarius, qui vulgo benignus plerisque dici solet, ille est, qui solita sua, & sibi plerumque convenientia symptomata habet; sic ille morbus vocatur malignus, qui

qui ſecura omnia prima fronte præ ſe ferens, ſubito, atque inopinato, malorum more hominum, in peſſima ſymptomata erumpit: morbus itaque malignus in genere eſt, cujus ſymptomata neque temporibus morbi, neque ſignis reliquis reſpondent ob cauſam aliquam internam, latentemque:

Poteſt etiam in genere dici morbus ille malignus, qui primo aſpectu mitis eſt, ſed tamen per ſymptomata quædam male reſpondentia aliquid latentis monſtri prodit; ſic ulcus dicimus malignum, quod ægre coaleſcit.

Morbus porro malignus alius eſt apparenter talis, & cui proprie malignitatis nomen non competit v. g. ulcus difficulter ſanabile ob profunde latentem cariem oſſis; aliud iterum ulcus ob latentem in corpore luem veneream &c.

Alius etiam, cui ſtricte nomen malignitatis non convenit, dicitur improprie morbus malignus; ita febres acutæ, quarum ſymptomata, etſi graviſſima, & ferociſſima ſint, tempori tamen morbi, ſignisque reliquis reſpondent, dicuntur quidem, ſed inconvenienter malignæ.

Aliæ vero febres magis convenienter malignæ dicuntur, & inter has numerantur

Quid ſit febris maligna?

1) illæ febres, quæ invadunt cum magna virinm proſtratione ſine cauſa manifeſta;

2) quarum ſymptomata non reſpondent tempori morbi, neque

3) ſignis reliquis externis &c. Reliqua ex pathologicis repetenda ſunt.

Signa præcipua febris malignæ

Signa externa petuntur ex oculis, facie, lingua, ſitu, viribus, ſenſibus, pulſu, calore, reſpiratione, urina &c. E. G. ſi inter initia homo ſtatim deliret, neceſſe eſt aut acutiſſimam, aut malignam febrem eſſe; ſi pulſus a naturali non valde remotus ſit, urina appareat ſanorum ſimilis, calor ad contactum non magnus ſentiatur, & tamen lingua ſicca, aſpera & nigra ſit, ſi vehemens ſitis ſit, aut fortaſſe modo adſit delirium; ſi externæ partes frigeant, dum homo de æſtu interno, quem ſemper inſpecta lingua prodet, conqueritur.

Facile patet talia ſymptomata cum virium proſtratione collata arguere febrem malignam, quoniam inter ſe & temporibus morbi non conſentiunt.

b) Ex praxi conſtat initium omnium febrium acutarum cum ſenſu quodam frigoris fieri. Frigoris vero hujus tres eſſe gradus:

1mus

1mus eſt algor proprie dictus, qui merus aliquis frigoris ſenſus eſt; quid ſit algor

2dus eſt horror, qui eſt frigus cum acutis, & ſuperficiei corporis agitatione per intervalla incidens, repetensque quid ſit horror

3tius eſt rigor, qui eſt frigus maximum, ſub quo gelida membra contremiſcunt, & ſubſultant, quin in ipſis viſceribus, medullisque aliquando frigus ſentitur: quid ſit rigor

Frigora hæc ſemper æſtus varius, in rigore vero maximus conſequi ſolet:

Porro frigora hæc, quæ primam, & rariſſime ſecundam exacerbationem præcedunt, in febre vere continua non redeunt ante ſequentes exacerbationes, neque, niſi gravis lateat cauſa, de novo incidunt: ſi vero inciderint, ſemper quid monſtri latentis, aut grave quid portendunt: ſic malum eſt in acutis febribus, ſi ab horroribus crebris, fugitivis ex dorſo, & lumbis incipientibus invadant, præſertim ſi iſti horrores cum parvis & fugitivis ſudoribus conjuncti ſint:

Malum etiam eſt, ſi plures adveniant rigores, quam qui unam exacerbationem antecedere ſolent, aut etiam ſi in ipſum æſtum incidant,

cidant, præſertim cum præmaturis ſudoribus: malum item eſt horrores pluribus, quam uno die, ad incrementum usque morbi repetere, & ſic febrem primis diebus pro erratica fallere.

Malum porro ægros inter initia ſtatim ſudare cum urinarum coctarum fatuo ſimulacro, præterea ſub hujusmodi ludibriis ægros in initio ſoporoſos ſtupidosque eſſe &c. Perfidam ac malignam febrem adfore hæc omnia deſignant.

Excipiam hic caſus, ubi vera quædam febris catharrhalis vulgaris aderit, aut ſi illud frigus pro vario morbi tempore aut ſymptomatici, aut critici aliquid affert v. g. ſi nova quædam & exanthematica febris initia præſentis febris per modum imperfectæ criſeos conſequatur: poterit etiam rigor iſte aliquando, (monente Hippocrate) ſudorem criticum deſignare, de quo plura in dilucidatione aphorismi trigeſimi.

APHOR. 3.

Febres ex præcordiorum dolore mali moris, ſopor his peſſimus.

DILUCIDATIO.

Hæ febres ex præcordiorum dolore, cum pulſu præcordiorum, & ſimul ſoporoſæ, quæ etiam

etiam plerumque ſimul brevia deliria habent ſocia, ſunt phrenitides primariæ, non vero acutiſſimæ, ſed 14tum diem communiter ſuperaturæ; nihilominus ſumme periculoſæ: textus itaque hic eſt ad prognoſin utiliſſimus.

APHOR. 4.

In febre vomituritiones perpetuæ, vel vomitorio modo trahi vomitationibus in ſcreationem deſinens malum.

DILUCIDATIO.

Nauſeoſas febres, & cum nauſea anxias crebro damnat Hippocrates; hæ vomituritiones, in ſcreationem deſinentes, phrenitidis primariæ ſignum ſunt, præſertim, ſi inter initia febris, & maxime ineunte exacerbatione urgeant; qua ratione Medicos facile fallunt pro febre intermittente, præſertim ſi tertia, quartaque die, ut fieri ſolet, hæc phrenitis exacerbetur:

Phrenitidis vero ſymptomaticæ ſignum ſunt hæ vomituritiones, ſi in incrementum & vigorem cujusvis febris acutæ inciderint; omnes enim, quotquot obveniunt, phrenitici ſcreare ſolent.

APHOR.

APHOR. 5.

In febribus exſtaſes, & mentis emotiones taciturnæ in homine voce non privato perniciosæ.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad vigores febrium acutarum; hæc enim mentis taciturnæ emotio eſt anteſignana vel comatis vigilis, vel phrenitidis ſymptomaticæ lethalis: omnia deliria taciturna in acutis febribus, præſertim, ſi ægri aliquid ſibi ipſis obmurmurent, aut labia velut ſecum loquentes moveant, manifeſtius apparent: veritas hujus dicti frequenter in febre miliari, vel purpura alba, cui phrenitis ſymptomatica accedit, perſpicua eſt.

APHOR. 6.

Qui cum perfrigerio non ſine febre ſuperioribus leniter ſudant, moleſte ferentes phrenitici ſunt, & præcipiti morti proximi.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad phrenitidem primariam, eamque acutiſſimam; incipit enim hæc cum horroribus febrium inſtar catharralium: febris hæc, ut alibi Hippocrates ait, ad contactum mitis eſt, unde facile intelliguntur hæc verba: non ſine febre: ſudant phrenitici ca-

pite,

pite, & collo, inquieti ſunt, & moleſte ferunt morbum: tales itaque veriſſimi phrenitici ſunt, & quidem acutiſſime ægrotantes, ante ſeptimum diem (teſte experientia) moriuntur.

APHOR. 7.

Mentis emotiones cum tremore, manuumque palpitatione phreniticæ, dolores circa ſuram in his mentem alienatum iri portendunt.

DILUCIDATIO.

Textus hujus pars prior ad phrenitidem potiſſimum ſymptomaticam, poſterior ad phrenitidem tum primariam, tum ſymptomaticam pertinet; nam ſi vigori febrium acutarum acceſſura ſit phrenitis, tunc ægroti manibus tremunt, & palpant: ſi vero phrenitis primaria imminet, inter dolores manuum, pedum, colli & ſurarum memorabilis & atrox dolor urget, isque dolor quoque phrenitidis ſymptomaticæ in acutis jam præſentis indubitatus eſt index.

APHOR. 8.

Quicunque in febre continua muti jacentes, nictant conniventibus oculis, ſi ſanguine ex naribus fluente, & poſt vomitum loqui incipiant, atque ad ſeſe redeant, ſervantur: his vero non contingentibus difficulter ſpirantes derepente moriuntur. DI-

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad omnes febres acutas præsertim hominum rheumatismo obnoxiorum; itaque præcipue ad rheumatismum acutum.

In omnibus acutis si post hæc signa Aphoniæ, & conniventium nictantiumque oculorum (utpote comatis vigilis, aut phrenitidis symptomaticæ indicia) hæmorrhagia narium, vomitusque cum fine alicujus exacerbationis contigerint, servabuntur ægri: citra hæc, si præsertim rheumatismus acutus, isque gravissimus, ad interna viscera simul retroversus fuerit, peripneumonico modo (ut alibi quoque dixit Hippocrates) vitæ finis, isque subitaneus instat.

APHOR. 9.

Quicunque prehensi postridie exacerbationem patiuntur, malum, tertia die levius habentes, quarta exacerbati malum, nam & phreniticæ sunt tales exacerbationes.

DILUCIDATIO.

Hic textus ex typis præsagit phrenitidem primariam, & maxime digna notatu hic est exacerbatio diei quartæ, si scilicet post primam & secundam diem graviores mitior fuerit tertia dies, & circa quartam diem omnia invalescant:

cant: quod meis quoque obſervationibus accuratiſſime concordat.

APHOR. 10.

In ſopore deliria convulſoria peſſima.

DILUCIDATIO.

Soporum tria genera ſunt: — Sunt tria genera ſoporum

Imum eſt coma.

Coma ſive ſopor ſtricto ſenſu omnis dicitur præternaturalis ſomnus, qui vel in initia, vel in vigores febrium incidit, & interdum alios morbos ſic comitatur, ut ſymptomatis inſtar habendus ſit: quod ex morbo, cui accedit, & ex viribus, quas frangit, cognoſcitur. — 1. Coma, & quid ſit

2dum eſt lethargus.

Hic eſt peculiaris, & memorabilis ſopor cum febricula continua, delirio, & oblivione conjunctus non ſine reſpirationis læſione: excitari poſſunt lethargici, reſpondentque excitati, ſed delirant, ſummeque ſunt obliviofi, & mox in ſomnum relabuntur. — 2. Lethargus, & quid ſit

3tium eſt carus.

Carus eſt ſopor profundiſſimus, a quo homo excitari nequit, conjunctus cum febre, ſed — 3. Carus, & quid ſit

ſed ſine reſpirationis læſione & ſine paralyſi; membra enim punctu affecta contrahit homo, neque tamen excitatur.

Soporum differentia ab apoplexia

Sopores ab apoplexia differunt, quod neque reſpirationem cum ſtertore lædant, neque paralyſin conjunctam, aut pediſſequam habeant, ut apoplexia.

Quid ſit coma vigil

Ab his ſoporum generibus differt *Coma vigil*: quod eſt delirium taciturnum cum fatua ſomni ſpecie, aut accedens ad febres acutas, & ſigillatim malignas, aut ex phrenitide oboriens, & in hanc viciſſim verſum.

Textus itaque hujus decimi aphoriſmi pertinet ad coma, & lethargum, quin etiam ad coma vigil febrium acutarum; ab hoc enim genere ſoporum expergefacti ægri, ſi delirent, certe convulſiones variæ, eæque lethales imminent: neque vero a lethargo niſi pauciſſimi (docente experientia) convaleſcunt.

APHOR. 11.

Prædebilitatorum deliria peſſima.

DILUCIDATIO.

Per prædebilitatos intelligendi ſunt omnes tum acuto morbo ad vigorem usque, tum chro-

chronico quoque morbo exhauſti fractique: itaque non tantum de deliriis in vigores febrium acutarum incidentibus, ſed etiam de chronicis morbis, febribusque ſpeciatim verum hoc effatum eſt, ſic phthiſici morti proximi (ut primo epidemiorum admonet Hippocrates) acute febriunt, & delirant omine penitus perniciali.

APHOR. 12.

Delirium in ſpiritu & ſudore lethale, lethale etiam in ſpiritu & ſingultu.

DILUCIDATIO.

Effatum hoc ad vigores omnium febrium acutarum, ſed maxime purpuræ, & aliarum exanthematicarum, ſi ad has phrenitis ſymptomatica acceſſerit, pertinet.

Delirium in ſpiritu eſt delirium cum anhela reſpiratione in ipſa inſpiratione velut intercepta, deinde rurſus profunda, & cum impetu receptum aërem elidente.

Sudor exanthematicis in vigore morbi conſtitutis frequens eſt, & plus ſudant hi ægri, quam ut aliqua inde ſalus ſperanda ſit.

Delirium cum eadem reſpiratione ſingultuque lethale eſſe, ultro patet.

APHOR. 13.

Inſomnia in phrenitide perſpicua bonum.

DILUCIDATIO.

Somnum ſupponunt inſomnia omnibus phreniticis ſalubrem:

Evidentia inſomnia ſunt, quorum æger reminiſci poteſt, & hæc eſſe initia integritatis mentis, ſpeique ſecundæ, iterum ultro patet.

APHOR. 14.

In phrenitide albæ egeſtiones alvi, & torpor malum, peſſimus his rigor.

DILUCIDATIO.

Textus hic ad omnem phrenitidem tum primariam, tum ſymptomaticam manifeſtiſſime pertinet:

Memorabile eſt omnibus phreniticis ſymptoma, illa præcordiorum tenſio, durities, pulſatio, quæ procul dubio hinc mirifice ſimul affectum eſſe ventriculum monſtrant, unde quoque omnis phrenitis primaria vomitorio profecto carere nequit:

Sic male affectum eſſe hepar, aut adeſſe ſaltem ſpasmum ductus communis hepati-

ci,

ci, ejectæ albæ fœces, & icterus (teſte obſervatione & experientia) ſæpe conjunctus non vanam ſuſpicionem afferunt.

Rubræ vero fœces, id eſt, ſanguinolentæ, quin & ejusmodi urinæ in phreniticis bonæ ſunt, ſi in magna copia effluunt.

Torpor eſt quædam delirantis immobilitas; rigor eſt frigus cum agitatione membrorum non ab ipſo ægro delirante, ſed adſtantibus obſervandum: ex his omnibus prognoſis ultro patet.

APHOR. 15.

Phreniticos inter initia leviter, mitiusque habere, crebro autem transmutari, malum.

DILUCIDATIO.

Omnes phrenitides primariæ cum miti febre, facilique modo incipiunt, & niſi probe attendatur, ne ægrotare quidem ægri ſubinde videntur: crebræ mutationes ſunt inter hæc initia levium deliriorum exordia, & ſoporum veſtigia, unde ægri facile ad ſe redeunt, viciſſim præter opinionem ad hæc relabentes: hæ phrenitides quidem ſunt aliis paulo diuturniores, ſed tandem fiunt lethales.

APHOR.

APHOR. 16.

Melancholico modo exſtatici, ſi tremores patiantur, malum.

DILUCIDATIO.

Effatum hoc & de phrenitide ſymptomatica, & de vero melancholico, chronicoque delirio veriſſimum eſt:

Melancholico modo mente moveri, juxta mentem interpretum quidem ab atra bile oritur; ſed apud Hippocratem ſæpe deſignat, delirium taciturnum non adeo furioſum, id eſt coma vigil pati:

Talia enim ſunt melancholicorum deliria taciturna, mitia, timida potius, quam furioſa:

Sub hoc comate vigili phrenitidis ſymptomaticæ anteſignano, vel pediſſequo, tremores manuum, tendinum, muſculorum, faciei, palpebrarumque nictatio, malum ſignum ſunt.

Præterea melancholici confirmati tremuli, paucas ſanguinis ex naribus guttas fundentes (teſte experientia) morti proximi ſunt.

APHOR. 17.

Melancholico modo exſtatici vel deliri, tremuli redditi, ſuntne hi phrenitici?

DI-

DILUCIDATIO.

Ex his, quæ ſubdubitanter pronuntiat Hippocrates, patet melancholico modo deliros intelligendos eſſe illos, qui comate vigili implicitì ſunt: itaque de imminente phrenitide ſymptomatica hic textus loquitur; ſane hujusmodi ægroti tremunt, crebro ſpuunt, ſalivamque ejiciunt, ſpuunt præterea rotunda, ut alibi ait Hippocrates: ſeroſum narium ſtillicidium habent, illacrymantesque oculos, unde hodie multi dicunt, febrem catharralem malignam adeſſe.

APHOR. 18.

Exſtatici acute inſuper febrientes phrenitici fiunt.

DILUCIDATIO.

Textus hic loquitur de indicio phrenitidis primariæ. Exſtatici ſunt illi, qui præter morem ſtupidi & hebetes ſunt: his, ſi febres acutæ, etſi ad contactum non vehementes, acceſſerint, iisque jungantur indicia ex pulſu & lingua phreniticis propria, phrenitis imminet.

APHOR. 19.

Phrenitici brachipotæ id eſt breviter, parumque bibentes, ſtrepitum valde percipientes, tremuli, aut convulſivi.

DILUCIDATIO.

Brevis hæc eſt ſed egregia phrenitidis primariæ ab incremento ad mortem, aut ad ſomnum criticum usque deſcriptio, qua verior eſſe nequit.

APHOR. 20.

In phreniticis valde tremores lethales.

DILUCIDATIO.

Et hæc prognoſis ad omnem phrenitidem tum primariam, tum ſymptomaticam apprime pertinet.

APHOR. 21.

Deliria circa neceſſaria peſſima, quæ ex his ingraveſcunt, lethalia.

DILUCIDATIO.

Effatum valde præclarum de omnibus omnium acutarum deliriis non ſolum, ſed etiam de omnibus chronicis, maniacis, melancholicisque deliriis.

Per neceſſaria hic intelliguntur illa, quibus maxime olim homo aſſuetus fuit.

APHOR. 22.

Mentis perculſiones cum voce clangoſa, lingua convulſa, ipſis ægris tremulis redditis, mentem alienant, durities his peſſima.

DI-

DILUCIDATIO.

Textus hic ad præſagia deliriorum in acutis quibusvis pertinet: mentis alienationes teſtantur quæcunque dicta, & facta præter conſuetudinem:

Clangoſa vox eſt inſolito modo acuta: ſpasmodica lingua tremula eſt, & in ipſis verborum pronunciationibus intercepta:

Per tremulos ægros, digitorum, manuum, muſculorumque faciei inſolitus, tremulusque motus intelligitur:

Addit Hippocrates: durities his peſſima.

Per hanc intelligitur alternans membrorum tremor & immobilitas, qualis in phrenitide potiſſimum ſymptomatica obſervatur.

APHOR. 23.

In phreniticis crebræ transmutationes convulſoriæ.

DILUCIDATIO.

Transmutationes phreniticorum ſunt crebræ deliriorum, & quietis vices, ſpem falſam promittentes; hæ omnino prægreſſis convulſionibus poſt aliquot dies affuturam mortem deſignant.

APHOR. 24.

Phrenitici cum perfrigerio ſputantes nigrum vomitum indicant.

DILUCIDATIO.

Textus hic juxta mentem interpretum eſt ex difficillimis; plerique interpretes phreniticos hic pro quibuscunque chronice etiam delirantibus accipiunt: ſed perperam; pertinet enim textus hic veriſſime ad phrenitidem proprie dictam primariam. Perfrigerium in acutis variorum, tum criticorum, tum ſymptomaticorum motuum pro vario morbi tempore præſagium eſt: non uno loco frigus cum peculiaribus ſignis vomitum deſignare Hippocrates rectiſſime pronuntiat, & alibi inquit, qui vomituri ſunt, ſputationes faciunt.

Perfrigerium igitur & ſputatio circa vigorem morbi, futurum phrenitici vomitum deſignat, id quod etiam experientia docet.

Quid autem eſt niger vomitus? hic ſane nihil aliud eſt, quam quædam ex vaſis ventriculi præſertim ſic dictis *brevibus* ſanguinis atri cum vomitu rejectio:

Nam ut alibi, teſtante etiam experientia, fluxus alvi cruentos phreniticis ſalubres eſſe rectiſſime dixit Hippocrates, ſic idem de vomitu hoc nigro veriſſimum eſt: quippe hic vomitus ſalubris quædam & critica ſanguinis revulſio eſt reſpectu illorum, qui difficilem

ſan-

ſanguinis per hepar reditum patiuntur; qualis reditus difficilior ſine dubio in phrenitide non ſecus ac in aliis chronicis deliriis adeſt.

APHOR. 25.

Morbi ſtatim turbulenti cum vigiliis, cum egeſtione nigrorum compactorum per alvum nonnunquam ſanguinem fundunt, morbi cum vigiliis repentinis & anxietate ſanguinem fundunt, tum alias, tum ſi quid ante perfluxerit, num & qui poſtea horruerunt paululum perfrigerati.

DILUCIDATIO.

Morbi ſtatim turbulenti cum vigiliis, & anxietate ſunt febres acutæ eryſipelatodes, interdumque phreniticæ:

Frigus horrorque inter alia ſigna, quocunque morbi tempore incidat, hæmorrhagiam aliquam undecunque ortam (teſte Hippocrate & experientia) deſignat.

APHOR. 26.

Capitis dolor in febre acuta, hypochondria ſurſum revulſa, introrſumque non fluente ex naribus ſanguine pervenit, ad phrenitidem.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad phrenitidem ſymptomaticam & ultro patet.

APHOR. 27.

In febribus ardentibus aures nonnihil tinnientes cum viſus hebetudine, & juxta nares gravitate, melancholico modo mente movebuntur, niſi hæmorrhagia antecesſerit.

DILUCIDATIO.

Aureum comatis vigilis, phrenitidisque ſymptomaticæ in febribus acutis præſagium:

Melancholico modo mente moveri eſt, cum taciturnitate delirare inſtar melancholicarum, id quod phreniticis, & comate vigili premendis familiare eſt:

Per hæmorrhagias non ſolum fluxus narium, ſed etiam menſtrui, & utræque hæmorrhoides tum ani, tum veſicæ urinariæ intelligendæ ſunt.

APHOR. 28.

Tremores in febribus ardentibus ſolvit mentis perculſio.

DILUCIDATIO.

Prorſus memorabile documentum hoc eſt, quanta nempe cura, & ſtudio hæ vetuſtæ obſervationes inſtitutæ fuerint: Cer-

Certiſſimum eſt, tremores manuum, & ſpasmos muſculorum faciei, quo nomine omnes hujusmodi tremores intelligendi ſunt, deliriorum febrilium præſagia eſſe; atque ubi deliria hæc eruperint, hoſce tremores ceſſare ſolere.

APHOR. 29.

Si qui in febribus ardentibus cum modico perfrigerio conjuncto egeſtiones alvi bilioſo-aquoſas frequentes habuerint, oculosque ſæpe nictantes & ſubſultantes, malum eſt tum alias, tum ſi catochi fiant.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad ſic dictas febres catharrales malignas, & exanthematicas quasvis, præſertim vero petechiales:

Catochi hic ſunt Comate vigili comprehenſi; nam hæc vox catochi non ſemper in eadem ſignificatione ab Hippocrate ſumitur; ſed hæc ex ipſa re deſumenda & exploranda eſt.

Paucis: in febribus hujusmodi inter has diarrhœas, oculorumque convulſorias nictitationes conſequitur coma vigil vel alius ſopor, quod accuratior experientia confirmat.

APHOR.

APHOR. 30.

Febris ardens ſolvitur accedente rigore.

DILUCIDATIO.

Textus hic in aliis Hippocraticis aliquoties occurrit, & intellectu difficilis quidem apparet: attamen illi, qui ſedulam obſervationem cum longa experientia conjunxit, veritas hujus dicti non ignota manere poterit; raro quidem, ſed tamen aliquando, & præſertim inter plebejos, febre ardente correptos, corpore neque aliis morbis, neque intemperantia, nec aliis diætæ vitiis exhauſto, maxime autem in junioribus, veritas hujus dicti obſervatur:

Febris ardens eſt quæcunque febris peracuta, aut acutiſſima ordinaria. Per rigorem hic intelligitur ille frigoris ſenſus cum membrorum tremore, qui in ſtatum vigoremque febris incidit, multaque pro vario morbi tempore, & pro conjunctis ſymptomatibus deſignat, præſagitque: antecedens talis rigor cum ſuccedente æſtu in hisce etiam febribus criſin per ſudores efficere poterit, etſi etiam alia ſpecies criſeos circa illam febris exacerbationem, quæ vehementiſſima eſt, & vigorem febris finiet, tum quoque accedere poſſit.

Supradictus rigor inſtar paroxismi febris intermittendis antecedens, ſuccedente æſtu, more

more aliarum acutarum declinat, ut paroxismi finis cum largo ſudore fiat: ab illo tempore declinatio, pars quarta decurſus febris, incipit, ita ut criſis per totam hanc declinationem iterum hic more aliarum acutarum ſine novo rigore ſic producatur, ut tardantes magis magisque exacerbationes ſudor, urinaque cocta conjunctis interdum hæmorrhagiis, morbum ſucceſſive finiant.

Sic alibi Hippocrates inquit: ſi febris ardens ad rigorem pervenerit, per ſudorem finietur.

Et magnus *Aëtius* peculiari capite hunc rigorem ſudoris critici prodromum vocat.

Atque ita hic textus ope ſolius experientiæ explanari & intelligi poteſt.

APHOR. 31.

Caput concutientia, rubicundi oculi cum manifeſtis deliriis aut pernicioſa ſunt, aut ſi non commoriuntur, tumorem juxta aurem producunt.

DILUCIDATIO.

Difficillimus hic textus quidem eſt; ſed liquido ad vigores febrium acutarum quarumcunque, præſertim exanthematicarum, harumque phrenitides ſymptomaticas, quæ aut in mor-

mortem, aut in abſceſſum pone aures finiuntur, pertinet.

APHOR. 32.

Sopor ubique malus.

DILUCIDATIO.

Aureum hoc effatum pertinet ad omnia comata, tum ſymptomatica acutorum, & chronicorum malorum, tum primaria.

Ubivis enim ſuſpectus ſopor eſt, ſic ex. gr. tertianæ intermittentes ſoporoſæ, de quibus Hippocrates Epidem. I. Sect. 3. mentionem facit, & magnus Werlhofius egregie etiam ſcripſit; item icterus ſoporoſus grave periculum conjunctum habent.

APHOR. 33.

Sopor in principiis cum capitis, lumborum, colli, præcordiorum dolore vigilantes omnino phrenitici ſunt, naſus his deſtillans exitialis tum alias, tum quarto ab initio die, alvi vero proluvies valde rubicunda non ita mala eſt.

DILUCIDATIO.

Præclarum omnino de phrenitide primaria effatum, ultro luce ſua perſpicuum, referendumque ad omnes phrenitides, maxime illas,

illas, quæ febrium catharralium malignarum, & petechialium nomine hodierno tempore veniunt, & nihil aliud sunt, quam veræ phrenitides. Alvi profluvium rubicundum, aliis in morbis non uno loco ab Hippocrate damnari solitum, hic non mali ominis est, cum revera sit levamen per hæmorrhoides copiosas.

Raro etiam acutum, & chronicum delirium sine hepatis primarumque viarum vitio, perturbatoque sanguinis per hepar reditu esse solet: inde in omni phrenitide præter cerebri inflammationem aliquid consensuale est: inde post primam venæ sectionem tanta vis est mature dati, quin & secunda & tertia vice repetiti vomitorii, sine quo (teste experientia) phrenitidis curatio frustra speratur: solæ venæ sectiones, etsi illis quoque carere non possimus, sine vomitorio nihil efficiunt.

APHOR. 34.

Soporosi ab initio exsudantes urinis coctis visis, ardentes, sine crisi frigefacti, & brevi rursus ardentes, torpidi, soporosi, convulsivi perniciose habent.

DILUCIDATIO.

Et hoc memoria tenendum effatum ad febres malignas, & exanthematicas, quibus

phrenitis ſymptomatica brevi timenda eſt, pertinet.

APHOR. 35.

Somni ſoporoſi & perfrigeria pernicioſa.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad vigores febrium acutarum quarumcunque, præſertim exanthematicarum, & ſigillatim ad coma illud vigil, accedens ad vigores febrium acutarum, pluſculum diſcriminis, & periculi habentium.

APHOR. 36.

Soporoſis, laſſatis, ſurdis, ſi alvo erumpente rubra egreſſa fuerint circa criſin, prodeſt.

DILUCIDATIO.

Memorabilis hic textus pertinet ad vigores febrium acutarum, phrenitidumque ſpeciatim, tum primariarum, tum ſymptomaticarum, quibus etiam exanthematicæ febres continentur: ſurditas in acutis & chronicis delirii vel comes, vel anteſignana eſt. Rubra illa ſunt hæmorrhoides tum ſedis, tum veſicæ urinariæ.

APHOR. 37.

Soporoſi cum nauſea anxii, hypochondrium dolentes, parum vomiturientes, his abſceſſus juxta aurem fiunt.

DI-

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad præſagia de parotidibus, imperfecta criſi in phrenitide tum primaria, tum ſymptomatica ſecuturis, quas plerumque tenſa præcordia &c. & rigor præcedunt.

APHOR. 38.

Soporoſi num habent aliquid convulſorii.

DILUCIDATIO.

Veriſſimum eſt hoc effatum de omnibus ſoporibus, lethargis, caris, quin & apoplexia, etiam in omnibus febribus acutis, quas ſemper ſpasmus aliquis, vel ſaltem tendinum ſubſultus conſequitur.

APHOR. 39.

Surditas in acutis, & turbulentis ſubſequens malum.

DILUCIDATIO.

Aureus plane textus hic eſt: peracuta & turbulenta morborum genera ſunt febres inflammatoriæ, præſertim phreniticæ, quin & peripneumonicæ, petechiales, exanthematicæque aliæ: in quibus omnibus ſurditas imminentis delirii ſignum eſt, neque tantum delirii, ſed præcipue phrenitici delirii, quod ſumme periculoſum eſt.

APHOR. 40.

Surditas in febribus ſiſtit alvum.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad febres acutas: hæc ipſa ſurditas non ſolum delirii, ut prius dixi, præſagium eſt, ſed etiam eodem tempore & alvus, & urina retineri ſolent ſine dubio ſpasmodico modo, obſervamusque poſtea, ſurditatem hanc ſub ipſo febris fine & narium hæmorrhagia, & diarrhœis ſolvi.

APHOR. 41.

In febre acuta aures obſurdeſcere furioſum eſt.

DILUCIDATIO.

Furioſum hoc non ſolum de phrenitide ſymptomatica intelligendum eſt, ſed etiam, ſi alia mala ſigna non adfuerint, ſucceſſuram febri acutæ veram maniam indicat.

APHOR. 42.

Valde ſurdi, dum aliquid accipiunt tremuli, lingua reſoluta torpidi, malum.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad vigores omnium febrium acutarum, qualeſcunque, & in quo demum corpore fuerint.

APHOR.

APHOR. 43.

Progreſſa ægritudine ſurditas, & urina ſubrubra, non habens hypoſtaſin, ſed ſaltem eneorema, ſubdeliri quid portendit, in his ſubnatus icterus malum, malum etiam ex hoc ictero fatuos reddi, hos ſine voce ſentientes tamen contingit ſuffocari, interdum etiam ſubito alvus his male afficitur.

DILUCIDATIO.

Memorabilis hic textus, explicatu ſane difficilis, loquitur de ſpecie phrenitidis ſymptomaticæ, ad incrementum febrium acutarum, præſertim in ſenibus, itemque hypochondriacis accedentis; nam increſcens ægritudo eſt febris incrementum: ſurditas imminentium deliriorum generale ſignum: urina ſubrubicunda cum eneoremate coctionem morantem, itemque delirium deſignat. Icterus hic ſymptomaticus eſt, & phrenitidem cum aliqua fatuitate ſolvit: alvus male affecta eſt tenesmus, & quidem hæmorrhoidalis, qui interdum felici ſucceſſu in ipſum hæmorrhoidum fluxum finitur.

APHOR. 44.

Poſt ſurditatem & torporem ex naribus aliquid ſtillare difficultatis aliquid habet, his conveniet vomitus & alvi turbatio.

DI-

DILUCIDATIO.

Textum hunc ad incrementa phrenitidum, quin & ad phrenitides febrium acutarum ſymptomaticas pertinere, manifeſto apparet; minime vero ad imminentes maniacorum paroxismos, vel ex remiſſione melancholiæ, vel ex abſoluta intermiſſione ortos.

Stillicidium narium non ſolum ſeroſum, ſed etiam ſanguineum hic intelligendum erit.

Utrique morbo vomitus & diarrhœa magnum levamen afferunt: omnibus autem phreniticis maturum vomitorium (teſte experientia) ſumme neceſſarium eſt: idem maniacos quoque mirifice levat.

APHOR. 45.

Surditatem ex febribus ſolvit narium hæmorrhagia, itemque alvi fluxus.

DILUCIDATIO.

Surditatem in acutis deliria portendere generatim ſupra dixi:

Poſt ſolutas febres difficillimus auditus interdum diu ſupereſt, niſi per febris declinationem, aut per ſubſequentem hæmorrhagiam, vel alvi fluxum tollatur. Itaque hic textus

tus

tus, quam maxime ad phrenitides, petechias, purpuram, & omne genus exanthematicarum febrium justissime pertinet.

APHOR. 46.

Faciei bonus color, & torvitas sordida in morbo acuto malum, inter hæc frontis contractio, sive corrugatio phrenitidis indicium.

DILUCIDATIO.

Hic textus referendus est ad præsagia deliriorum in vigore febrium acutarum, præsertim ad phrenitidem, tum primariam, tum symptomaticam:

Idem bonus faciei color in febre non adeo acuta diuturnitatem morbi præsagit.

APHOR. 47.

Caliginosi oculi, & album illorum rubescens aut livescens, aut plenum nigris venulis commodum; malum itidem splendorem lucis refugere, aut lacrymari aut distorqueri; malum item alterum altero minorem fieri, & oculis frequenter nictare ægrum, ut illos ultro citroque distorquere, aut parvas sebaceas sordes circa oculos & incrementa tenuia albicantia, ut in caprarum oculis, ibi consistere, aut

album

album oculorum majus fieri, nigrum vero minus, aut nigrum id eſt corneam ſuper palpebram ſuperiorem reduci, & occultari: mala quoque eſt oculorum cavitas, & ſi valde præterque morem foras exiſtant, & ſplendoris imminutio, ſic ut pupilla extendi nequeat, & tarſorum in palpebris incurvatio, & oculi fixi, torvique, & perpetuo connivere, & colorem mutare, & palpebras inter deradendum non claudere, & contortus oculus malum & exitiale.

DILUCIDATIO.

Præclara collectio malorum ſignorum in acutis ex oculorum conditione:

Adverte tamen, quædam ex his, in homine illis jam adſueto E. G. nictationem, torvitatem, ſomnum diductis palpebris &c. hic excipienda eſſe.

APHOR. 48.

Oculorum obſcuratio, & oculus fixus caliginoſus malum.

DILUCIDATIO.

Hic textus non tantum coma vigil in febribus acutis; ſed etiam imminentes epilepſiæ, & maniæ paroxiſmos præſagit: quin & ad inſtantes inſultus apoplecticos pertinet.

APHOR.

APHOR. 49.

Oculorum fixa rectitudo in febre acuta, & motus velox, & ſomnus turbulentus, & vigiliæ, aliquando etiam guttulæ ſanguinis ex naribus phreniticum.

DILUCIDATIO.

Satis clarum eſt hoc de phrenitide ſymptomatica effatum.

APHOR. 50.

Ad contactum non adurentes febres qui habent, phrenitici fiunt, & magis, ſi ſanguis fluxerit.

DILUCIDATIO.

Uti præcedens effatum ad phrenitidem ſymptomaticam pertinere dixi; ſic hoc ad phrenitidem primariam pertinet:

Hujus enim etſi multa ſint ſigna: E. G. quod ægri ſint ſoporoſi, torpidi, horridi, ſubdeliri: illud tamen præſertim in initio obſervatur, quod febris parva ſit, neque ad contactum multum caloris exhibeat.

Sanguinem fluere hic deſignat molimina hæmorrhagiarum ex naribus irrita, & non ſufficientia, quin etiam alvum, urinamque inter initia leviter tantum cruentam.

Signa hæc bona ſunt, ſi phrenitico in incremento vel vigore morbi copioſe acciderint; in initio, præſertim ſi pauca ſint, fere ſemper mala, & deſpirate ominis.

In omnibus aliis quoque febribus acutis molimina hujusmodi, præcipue ſi ſanguis parce fluxerit, valde mala ſunt.

APHOR. 51.

Lingua inter initia horrida eodem colore perſiſtens, progreſſu temporis exaſperata, liveſcens, & hiatibus rupta, lethalis; ſi vero nigreſcat 14ta die circiter, criſin imminere deſignat. Difficillima autem eſt nigra, & viridis.

DILUCIDATIO.

Pertinet hic textus ad præſagia ex lingua in omnibus acutis febribus:

Lingua in principio inhorreſcens non frigus aliquod in lingua perceptum, ſed ſtatim contractam aſperitatem, & ſiccitatem deſignat:

Lingua cito valde nigreſcens ſine malis ſignis præcipitem, brevemque febrem, eamque peracutam deſignat:

Nigra & ſimul viridis lingua plerumque obſervatur mali ominis, præſertim, ſi cum aliis malis ſignis conjuncta ſit.

APHOR.

APHOR. 52.

Linguæ aſperæ, & valde ſiccæ phreniticæ.

DILUCIDATIO.

Præſagium hoc ultro patet, nulla enim lingua præter morem ſicca in acutis præſertim febribus ſine delirio eſt.

APHOR. 53.

Dentes collidere vel ſtridere, quibus non familiare fuerit ex infantia, furioſum & lethale: ſi vero jam delirans hoc faciat, omnino & prorſus lethale, etiam reſiccari dentes.

DILUCIDATIO.

Veriſſimum præſagium tum phrenitidis maxime ſymptomaticæ, tum quoque maniæ ſuo imminentis paroxismo, quin & ſecuturæ mortis, ſi hæc ſub delirio jam præſenti contingant.

APHOR. 54.

Screatio crebra omnino, ſi & aliud affuerit ſignum, phrenitidem indicat.

DILUCIDATIO.

Textus hic per ſe patet; nam omnes delirantes, & maxime phrenitici crebra, & rotunda ſpuunt.

APHOR. 55.

Spiritus creber, & parvus designat inflammationem, & dolorem in quadam corporis parte principe.

DILUCIDATIO.

Omnibus internis inflammationibus visceris cujusdam primarii, maxime intestinorum, ventriculi, pulmonis, meningum, talis respiratio conjuncta est, etsi propter delirium concomitans dolor non semper sentiatur.

APHOR. 56.

Colli dolor malum quid est in omni febre, pessimum autem in his, in quibus timor est delirii, aut insaniæ.

DILUCIDATIO.

Dolor colli in acutis febribus sine alia manifesta causa delirium, & præcipue phrenitidem (teste experientia) non solum portendit; sed etiam febre sine manifesta crisi imminuta, idem superstes dolor, si phrenitis, vel alia acuta febris præcesserit, successuræ maniæ indicium est.

APHOR. 57.

Dolores in acutis juxta fauces suffocatorii, ubi æger hiarit, neque facile deglutierit, aut

os apertum habeat, mentem emovent, ex his phrenitici lethaliter habent.

DILUCIDATIO.

Memorabilis hic textus pertinet ad præſagia deliriorum in acutis, maxime circa morbi incrementa, & vigorem.

Ad quæ ſigna, ſi phrenitis ſymptomatica acceſſerit, ægri periclitantur.

APHOR. 58.

Ex dorſi dolore principia morbi difficilia.

DILUCIDATIO.

Effatum hoc ad omnium febrium acutarum, quin & generatim morborum acutorum initia, maxime ad febres malignas, phrenitidesque, quin etiam rheumatismos acutos pertinet: probe autem, ut ſupra monui, notandum eſt, ne quilibet dorſi dolor, E. G. ortus ex leviore rheumatismo, eoque præſertim chronico, aut qui inſtantibus hæmorrhoidibus, vel menſtruis ſentiri ſolet, adeo difficilis credatur.

APHOR. 59.

Convulſio in febre contingens, pernicioſa eſt, minime vero pueris.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad convulſionem illam, quæ in febribus acutis, exhauſtis jam in febris vigore viribus, ſupervenit, & plerumque mortem antecedit.

Signum hoc non eſt ſemper in puerili ætate, ad convulſiones facili, mortis prodromum.

Idem dicendum de convulſionibus hyſtericis, quæ etiam ipſa ſub febre ſine periculo teſte experientia frequenter incurſare ſolent.

Pari modo ſtatuendum de epilepſia illa, quæ ſub finem paroxismi febrilis variolas antecedere ſolet.

APHOR. 60.

Cum lateris dolore non tamen pleuritico, & turbulentis, tenuibus, levibus, hi phrenitici evadunt.

DILUCIDATIO.

Memorabilis hic, & intellectu difficillimus textus non niſi a ſatis experto medico intelligi poteſt; vere enim paradoxum hic eſt, quod Hippocrates hunc lateris dolorem penitus a pleuritico ſejungat, qui tamen pleuritico ſimillimus eſt:

Hic

Hic itaque lateris dolor nihil aliud eſt, aut eſſe poteſt, quam gravativus aliquis dolor thoracis, qui non ſolum in pleuritide notha id eſt rheumatismo muſculorum thoracis, ſed etiam in omnibus hujusmodi doloribus rheumaticis adeſſe ſolet, quique a decubitu glebarum inflammatoriarum, in extremas intercoſtalium, ſinitimorumque muſculorum arterias delato, ortum trahit, & ſæpe inter initia febrium, imminente præſertim phrenitide, (ut experientia teſtatur) ſe ſe manifeſtat:

Unde etiam verba hæc: *ut turbulentis, tenuibus, levibus*: dilucidari queunt; ſcilicet turbulenta, tenuia, levia hic nihil aliud ſunt, quam maxime brevia, cumque ſtupore quodam conjuncta, & fugitiva deliria, interdum cum crebris, & levibus tenesmis, ſtranguriisque conjuncta.

Eſt itaque textus hic difficillimus quidem intellectu, ſed acriter obſervanti veriſſimus, & ad criteria primariæ phrenitidis maxime referendus.

APHOR. 61.

Exſtaſes taciturnæ non quieſcentes cum oculorum jactatione, & ſpiritus eliſione foras pernicioſæ, efficiunt autem aut diuturnam paraplegiam, nonnunquam etiam hi perveniunt ad

ad insaniam, quicunque vero post ventris turbationem sic exasperantur, his circa crisin nigra prodeunt.

DILUCIDATIO.

Hic textus non tantum loquitur de comate vigili, & deliriis taciturnis febrium acutarum, sed etiam de melancholia omni, maxime puerperarum, & hystericarum fœminarum.

Non quiescere dicuntur exstases, quæ non remittunt.

Elisio spiritus est præceps, & fortis exspiratio, subinde intercepta post profundam, similemque inspirationem cum suspirio. Ista plerumque (teste experientia) lethalia sunt: aut paraplegia brachii, vel cruris, aut interdum manifesta mania consequitur; aut si in febribus acutis hæc fuerint, manifesta phrenitis imminet:

Ventris turbatio, & nigra circa crisin dejecta sunt salutares hæmorrhoidum fluxus.

APHOR. 62.

Dormire oportet nocte, interdiu vigilare, contrarium autem malum est, minime vero læserit, si æger mane dormiat ad tertiam diei partem, sed postea somni mali sunt, pessimum autem

autem non dormire neque interdiu neque nocte; est enim hoc pervigilium præ dolore, & fatigatione: atque tali pervigilio prægresso tanquam signo homo delirabit.

DILUCIDATIO.

Præclarum hoc est de somno in febribus acutis monitum:

Nocturni enim somni præstant diurnis, quoniam magis consuetudini respondent. Et cum exacerbationes plerumque in noctem cadant, febris non adeo vehemens adesse potest, si æger noctu dormierit:

Convenit etiam somnus matutinus, quia hoc circiter tempore declinat exacerbatio:

Reliquo tempore sunt magis suspecti somni:

Sin vero in febribus acutis nullus de die, aut nocte somnus adsit, signum habetur certissimum, delirii intra triduum affuturi.

APHOR. 63.

Ex vomitibus anxietates, clangores, sive aurium sonitus, oculi uno loco defixi, furiosa.

DILUCIDATIO.

Etsi hic textus præcipue ad imminentem paroxismum maniacum in homine maniæ ob-

noxio, & hactenus melancholico referendus ſit, de his tamen, ſi acute febriant, veriſſimus eſt, quia hi in phrenitidem facillime delabuntur.

APHOR. 64.

In vomitu ſi quis ſiticuloſus fuerit; ſitis exortem fieri malum.

DILUCIDATIO.

Textus hic manifeſtius pertinet ad phreniticos, nam illa ſitis abſentia poſt vomitum luculentiſſimum delirii ſignum eſt.

APHOR. 65.

Nauſeoſis ſuppreſſio alvi turbatæ brevi poſt conjuncta eſt cum exanthematibus inſtar puncturarum culicum, & ad oculos lacrymoſa apoſtaſis pervenit.

DILUCIDATIO.

Hic ſumme memorabilis textus clariſſime offert prognoſin purpuræ ſymptomaticæ, vel ad phrenitidem aliquam, vel etiam ad quamcunque acutam febrem accedentis.

Lacrymoſa ad oculos apoſtaſis, eſt ſpontanea illa oculorum illacrymatio, in omnibus acutis mali ſane ominis, & periculoſiſſima.

APHOR.

APHOR. 66.

Frequentes ſimili modo recidivæ vomitoriæ circa criſin pariunt nigrorum vomitum, fiunt etiam tremulæ.

DILUCIDATIO.

Textus hic manifeſtiſſime pertinet ad phreniticos: nigri enim hi vomitus, ſunt vomitus coagulorum ſanguinis; id ſi affatim fiat, phreniticum eodem modo (teſte experientia) ſervare poteſt, ac ſanguinis per alvum, urinamque profluvium copioſum.

APHOR. 67.

Sudor optimus eſt, qui febrem ſolvit die critico, utilis etiam, qui levat: frigidus vero & circa caput, & ſaltem collum contingens, malus eſt; nam & temporis diuturnitatem & præceps periculum ſignificat, frigidus ſcilicet in febre acuta lethalis eſt, in meliore vero ſignificat diuturnitatem morbi, ſudor in febre acuta ſub ipſo exacerbationis febrilis æſtu malum.

DILUCIDATIO.

Egregiæ ex ſudore prognoſes ſuapte luce perſpicuæ:

Dies criticus hic non eſt aliquis numero circumſcriptus dies, ſed ille, qui vigorem fe-

bris excipit, initiumque declinationis morbi facit: plura hujusmodi egregia in prognosticis, & prorrheticis hippocraticis occurrunt, quæ a medicis tyronibus summa cum sedulitate merito perlegenda, & colligenda sunt.

APHOR. 68.

Urina tenuis & biliosa, vix hypostasin habens submucilaginosam, & quæ mutatur in melius & deterius, diuturna est, eadem diutius sic missa, tardante præsertim crisi, non caret periculo.

DILUCIDATIO.

Præclara sane ex urina prognosis. Biliosa urina est inter flavam & rubram media.

Omnes crebræ mutationes urinæ diuturnæ sunt; si urina modo cruda, modo vicissim cocta appareat, & inter mutationes febris paulo gravior sit, & propius, propiusque morbi vigor accedat, neque tum coctionis signa evidentiora adsint, periculum est (ut alibi ait Hippocrates) hominem ante succubiturum, quam perfectior crisis exspectari possit.

APHOR. 69.

Periculosa in acutis urina est biliosa, non subrubra, & quæ furfuracea contenta habet, albas vero subsidentias; & quæ varia & colo-

re;

re, & ſubſidentia eſt maxime in fluxionibus ex capite.

DILUCIDATIO.

Optima iterum prognoſis icteri ſymptomatici, & lethalis præſertim in phreniticis: bilioſa urina eſt, cui flavedo eſt, neque tamen rubicunda.

APHOR. 70.

Periculoſa eſt, quæ ex nigra transmutatur in bilioſam tenuem, & quæ dehiſcit ex ſubſidentia, & quæ habet hypoſtaſin ſubdenſam, ſublividam, & limoſam, num ex his præcordium dolet arbitror dextrum, an etiam cum virore pallidi fiunt, & dolorifici abſceſſus circa aurem concipiuntur, his brevi poſt erumpere alvus pernicioſa.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad præſagia icteri ſymptomatici tum ad febres acutas, tum ad phrenitidem acceſſuri.

Nigra urina, qualis ictericorum communiter eſſe ſolet, eſt illa, quæ transmutata deinde in tenuem, flavamque, dehiſcens ex hypoſtaſi, & reſoluta per urinam diſpergitur.

Talibus ægris icterus ſymptomaticus pernitialis imminet ſimul cum abſceſſibus ad aures

ex

ex algore incipientibus: de his cum ictero tali conjunctis Hippocrates quoque alibi agit.

APHOR. 71.

Urinæ, quæ derepente, & citra rationem, & paululum coquuntur, malæ, & generatim, quæ citra rationem in febre acuta cocta eſt, malum.

DILUCIDATIO.

Memorabilis & communis in febribus acutis urinarum diagnoſis: talis enim inter initia, vel ſub incremento apparens urina plerumque perniciosa eſt: ſic inter initia ſudare urinis coctis Hippocrates alio loco peſſimum pronunciat.

APHOR. 72.

Alba & diffuſa, pellucidaque urina mala eſt, maxime ſi phreniticis appareat.

DILUCIDATIO.

Veriſſimum & per ſe perſpicuum præſagium.

APHOR. 73.

Pernicioſa eſt urina & nigram ſubſidentiam habens, & ipſa nigra, in pueris vero ſi tenuis magis fuerit ſimul, quam craſſa, mala item grandinoſa, liquori genitali ſimilis, & doloroſa.

DI-

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad phreniticos ſymptomaticos, maxime imminente ictero.

Nigra urina a coagulis atri cruoris diſtinguenda eſt:

Grandinoſa urina, & liquori genitali ſimilis, & doloroſa eſt generatim varie mucoſa & cum iſchuria juncta, irritorum ad hæmorrhoides moliminum teſtis.

APHOR. 74.

Pernicioſa eſt omnis urina, quæ mingitur latenter.

DILUCIDATIO.

Pernicioſa hic talis urina dicitur, quia delirium præſagit, maxime, ſi etiam fœces ſic exeant.

APHOR. 75.

In febre ardente ſtupefactorio modo detentis peſſima urina valde alba.

DILUCIDATIO.

Stupefactorio modo ſive catocho detenti in febribus ardentibus ſunt, quibus perſpicuum illud ſymptoma, coma vigil, acceſſit; his urina ejusmodi (teſte experientia) lethalis eſt

non

non ſecus, ac phreniticis. Eſt enim hoc Agrypno-Coma frequens in acutis, exanthematicisque febribus, quæ omnes quædam phrenitidis ſpecies ſunt.

APHOR. 76.

Nubeculæ decolores nigra in medio ſuſpenſa habentes, cum vigiliis, & turba, phrenitidem deſignant.

DILUCIDATIO.

Aureum præſagium phrenitidis, & paraphrenitidis tum primariæ tum ſymptomaticæ.

APHOR. 77.

Et pelliculoſæ urinæ, & cum horrore cohibitæ ſimul ſunt convulſoriæ.

DILUCIDATIO.

De pelliculoſis urinis in præmiſſis modo dixi:

Hæ pelliculoſæ urinæ, deinde cohibitæ cum horrore, iſchuriam teſtantur: quæ vero aliquantulum pelliculoſæ ſunt, & ſedimenti quid deponunt, horroribus interim in ægro obſervandis, tremores, & ſimul convulſoria quædam, aut ſaltem pavores in ſomno deſignant.

Itaque

Itaque textus hic ad febres acutas omnis generis rectiſſime pertinet.

APHOR. 78.

In acutis egeſtio alvi ſpumoſa circumbilioſa mala, mala itidem valde alba, pejor adhuc farinæ alicujus, furfurumve ſpeciem referens, ſimulque liquidior, vel ſtercoracea, in his malus ſopor, & cruenta egeſtio, & vaſorum vacuatio præter rationem.

DILUCIDATIO.

Textus hic notatu digniſſimus pertinet ad febres malignas, & præſertim ad illas, quæ ſunt quædam phrenitidum ſpecies.

Egeſtio alvi ſpumoſa & circumbilioſa eſt, quæ bullas habet, & ſeparatas veluti bilioſi humoris portiones:

Valde alba acutum quoddam hepatis vitium, & læſam bilis ſecretionem, qualis in multis phreniticis eſt, peſſimo omine denotat; & hæc cauſa eſt, cur ſubfulva, id eſt naturali ſimilis, & bile ſatis tincta, egeſtio inter bona ſigna ab Hippocrate referatur.

Furfuraceæ fœces ſunt, quæ non rite ſubactas alimentorum partes habent: huc pertinet ea, quæ ſimilis eſt infantum ejectioni

(welche wie die gehackte Eyer aussieht) talis est simul liquida: stercus, quod est excrementum tum liquidum, tum crassum, officinæ chyli vitia designat:

Phreniticis valde familiaris est cruenta alvi egestio, bona tamen, & valde bona illis est, si affatim & cum profuso cruore fiat, & non sanguine solummodo tincta sit:

Quæ vero in hoc textu adduntur de vasorum vacuatione, hæc de vehementi debilitate intelligenda sunt, quæ phreniticis imminente morte frequenter adest: qua etiam de causa illo tempore venæ sectio largior, vel etiam modica frustranea erit.

Inter phrenitides enim & alias febres inflammatorias hoc notatu dignissimum discrimen est, quod in phreniticis sanguinis missiones hic careant effectu illo, quem habent in aliis, præsertim pectoris, inflammatoriis morbis.

Plurimis tamen phreniticis una vel altera venæ sectione, aliisque a me adductis remediis & præcipue tempestivis, & iteratis vomitoriis omnino opus esse, justissime arbitror.

APHOR. 79.

Viscosa meracior, aut alba alvi egestio malum, mala etiam subpituitosa, & valde fermen-

tata,

tata, mala etiam alvi egeſtio ſubtorminoſa, ſublivida, limoſa cum bilioſo colore.

DILUCIDATIO.

Viſcoſa, & alba alvi egeſtio mala tum in phreniticidibus, tum in morbis chronicis, cum vitio hepatis conjunctis.

Egeſtio alvi fermentata, & ſubpituitoſa eſt ſpumoſa, & mucoſa in ſic dictis hæmorrhoidibus mucoſis: huc etiam pertinet torminoſa, ſublivida, limoſa, ſive mucoſa.

APHOR. 80.

Egeſtio alvi aquoſa valde, non deſinens in acutis mala, magis etiam, ſi ſitis nulla fuerit.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad febres acutas, vel exanthematicas, imminente delirio, vel phrenitide ſymptomatica.

APHOR. 81.

Soporoſis torpefactis liquida egeſtio peſſima.

DILUCIDATIO.

Veriſſimum hoc effatum pertinet ad omnes ſpecies ſoporum, tum primariorum, tum ſymptomaticorum.

APHOR. 82.

Egeſtio valde rubicunda in febre deſignat delirium.

DILUCIDATIO.

Egeſtiones hæ (docente experientia) ſunt valde bilioſæ, non vero ſanguinolentæ, & tum deliriorum in febribus acutis, tum etiam paroxismorum maniacorum, & melancholicorum indices ſunt: quod ex ſequenti textu adhuc clarius liquet.

APHOR. 83.

Quibus poſtquam alvo flammea & valde rubra ſeceſſerunt, deinde ſecedunt graveolentia larga, ſubrubra, his timor eſt, ne inſaniant.

APHOR. 84.

Bilioſas egeſtiones ſedat ſurditas & ſurditatem ſedat bilioſa egeſtio alvi.

DILUCIDATIO.

Supra jam dixi, non ſolum in febribus acutis, ſed etiam in chronicis morbis, E. G. mania, ſurditatem deliriorum, aut affuturorum, aut exaſperandorum eſſe indicem: hæc ſurditas, ſi poſt febres acutas aliquamdiu ſuperſtes eſt, accedente quadam hæmorrhagia, vel diarrhœa bilioſa tandem ſolvitur:

Idem quoque in morbis chronicis evenire ſolet.

APHOR.

APHOR. 85.

Ex alvo liquida laſſato, caput dolenti, ſiticuloſo, pervigili, valde rubicundo colore fœces dejiciente timor eſt in ſomnum futurum, ſi difficulter ſpiraverit.

DILUCIDATIO.

Veriſſimum præſagium paroxiſmorum in deliriis chronicis; conſimilia de rubris excrementis ſupra modo attuli:

Difficilis reſpiratio eſt anhelitus aliquis, & memorabile eſt, anhelitum hunc ante acuta, & chronica deliria ſemper præcedere ſolere.

DILUCIDATIS JAM APHORISMIS, AD PHRENITIDEM ET PARAPHRENITIDEM SPECTANTIBUS, RESTAT, UT ET ILLOS, QUOS IN DESCRIPTIONE MORBORUM INFLAMMATORIORUM PECTORIS ATQUE ANGINAE ATTULI, BREVITER EXPLANARE PERGAM.

APHOR. 1.

Horror & ſpirandi difficultas cum doloribus ſigna phthiſeos.

DILUCIDATIO.

Textus hic per ſe patet in diſpoſitionibus phthiſicis, phthiſique occulta hæreditaria, in-

tegris

tegris ſæpe familiis propria: itemque ſi diſpoſitio phthiſica quacunque alia de cauſa E. G. ex prægreſſis morbis pectoris, vel per intemperantiam, aliisve quibusvis modis contrahatur:

Hi omnes ſæpe quidem horrent, & vagis modis difficulter ſpirant, vagosque modo acutos, modo gravativos pectoris, ac pulmonum dolores ſentiunt, & tum non multo poſt latens tabes erumpit: eſt igitur hic textus ad dignoſcendas phthiſes latentes accommodatiſſimus.

APHOR. 2.

Poſt ſuppurationem pulmonis circa claviculam, & pectus aliquando dolores, & cum anxietate ſtertor ſputi, copiam in pulmone deſignat.

DILUCIDATIO.

Effatum hoc referendum eſſe arbitror ad phthiſes manifeſtas & confirmatas, easque pulmonales, & ad mortem tendentes; item ad pleuropneumonia, vel pleuritide humida decumbentes, quibus mors propius inſtat;

Hi enim omnes cum difficultate reſpirandi ſtertunt, eſtque illis aliquis in pulmone veluti morantis, & hæſitantis ſputi, aut aëris tanquam per humorem lentum cum luctamine translabentis ſonitus.

APHOR.

APHOR. 3.

Sanguinis pusillæ stillæ malum.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad omnes morbos acutos, quin etiam ad imminentem apoplexiam, sed maxime ad febres acutas ab initio usque ad vigorem morbi: maxime autem ad febres inflammatorias: phrenitidem, pleuritidem, peripneumoniam &c.

Paucæ sanguinis ex naribus guttæ, vestigia menstruorum, sanguinis in urina, & excrementis leve indicium plerumque lethale signum sunt, & nihil spei afferunt, nihilque vere criticum designant, sed tantum quoddam naturæ luctantis molimen sunt: quin etiam in morbis longis hujus textus veritas elucescit; teste experientia enim id melancholicis confirmatis frequentiùs obvenit, præsertim illis, in quibus melancholia errabunda jam est; hi enim paulo post apoplectico modo moriuntur, si illis pusillæ sanguinis atri stillæ ex uno, alterove narium cadunt.

APHOR. 4.

Quibuscunque cum febre ardente tumores somnolenti, torpidique contingunt, hos dolor in latus incidens apoplexiæ instar interimit.

DI-

DILUCIDATIO.

Textus hic modo ſupra in contextu aphoriſmorum ad rheumatiſmum acutum citatorum explanatus eſt.

APHOR. 5.

Rigores & exanthemata rubra in manibus, pedibusque pernitioſa.

DILUCIDATIO.

Hic textus præcipue referendus eſt ad illos, qui phthiſi confirmata, quacunque de cauſa orta, laborant: his (quod probe notandum) quo propius mors inſtat, plerumque uno alteroque menſe ante finem vitæ in cruribus non ſolum, ſed etiam in humeris rubella exanthemata inſtar purpuræ, raro in alia corporis parte, aliquando tamen in dorſo efflorescunt, & interdum ante mortem iterum diſparent.

Quibus phthiſicis id accidit, eorum deplorata ſalus eſt:

Ad alios morbos, quam ad phthiſin, hic textus non pertinet.

APHOR. 6.

Quibus in febre, oborto lateris dolore, alvus dejicit multa ſeroſo-bilioſa, hi levantur.

DILUCIDATIO.

Hic textus quoque ſupra in aphorismis ad rheumatismum pertinentibus explanatus eſt.

APHOR. 7.

Dolores nonnihil acuti, incidentes in claviculam, & ſuperiora, pernitioſi.

DILUCIDATIO.

Obſcuriſſimus hic textus loquitur de phthiſi confirmata, imminente propediem morte.

Phthiſici enim ſub finem vitæ acute febriunt, & interdum accedente pleuritide, vel pleuropneumonia ſymptomatica exſpirant: unde ſubacutorum illorum ad claviculam, & ſuperiora thoracis dolorum cauſa ſatis patet.

APHOR. 8.

Anheloſis febris tandem acuta.

DILUCIDATIO.

Per anheloſos non ſolum peripneumonici, maximeque peripneumonia notha affecti, ſed etiam aſthmatici, & generatim omnes, difficili reſpiratione laborantes, intelligendi ſunt:

Omnibus his demum quædam febris pectoris inflammatoria, hic per febrem acutam intelligenda, accedit.

APHOR. 9.

Quibuscunque cum intento hypochondrio vel præcordio perfrigerium accidit, magnus circa aurem tumor oboritur.

DILUCIDATIO.

Textus hic ad vigores febrium acutarum omnium, ſed maxime inflammatoriarum non ſuccedente perfecta criſi pertinet:

Inter alia, quæ a frigore, in vigorem acutarum febrium incidente, metuenda ſunt, eſt abſceſſus, qui ſine nova febre, cujus hoc frigus initium eſt, formari non poteſt.

Experientia enim docet, horrorem ejus temporis cum intentis præcordiis abſceſſum pone aures deſignare; quod quoque alibi confirmat Hippocrates.

APHOR. 10.

Quibuscunque in febribus dolores, oborti circa lumbos, & inferiores regiones, diaphragma attingunt, derelictis inferioribus, pernicioſi ſunt tum alias, tum ſi quod malum ſignum acceſſerit; ſin vero & alia ſigna non mala fuerint, timor eſt, ne empyi fiant.

DI-

DILUCIDATIO.

Hic textus modo in ſuperius inter aphoriſmos ad rheumatiſmum acutum pertinentes explanatus eſt.

APHOR. II.

Qui circa exacerbationes tuſſiunt, ſudantque parum, maligne habent.

DILUCIDATIO.

Hic locus, hodierna in praxi adhuc veriſſimus, de latente purpura ſymptomatica loquitur:

Tuſſire circa exacerbationes febris peripneumonicum eſt:

Sudor in exacerbationum initiis deſiderari non poteſt, neque debet; nam ſudor hic quid monſtri, & maligni latere, luculenter docet:

Itaque ſi talibus initiis, maturis ſanguinis miſſionibus non occuratur, purpura ſane conſequetur, & quotquot in acutis morbis intempeſtive ſudant, his abque dubio purpura imminebit: atque hoc eſt illud hoc tempore *maligne habere*; ſiquidem præter ſpem, & opinionem novus in ſcenam morbus prodit.

Ii certe errant, qui hac tuſſi tanquam adjumento ad expellendam purpuram abuti amant, & in purpura ſudorem movendum eſſe exiſtimant; iſtiusmodi enim ægri ſudore ultroneo, & ſymptomatico ſatis exhauriuntur.

APHOR. 12.

Ad latus dolore, & ſuffocatione procedentibus, ſuppuratio fit.

DILUCIDATIO.

Textus hic de imminente, ſed adhuc latente phthiſi pulmonali loquitur, & conferendus eſt cum illo ſuperiore:

Horror & ſpirandi difficultas cum doloribus ſigna phthiſeos ſunt.

Per latus hic intelligitur thoracis latus:

Dolor ibi obortus, clandeſtinæ inflammationis, vomicam in pulmonibus latentem invaſuræ, index eſt.

Suffocatio hic eſt ſubitanea, & brevis quædam reſpirationis interceptio, ſed ſine manifeſta cauſa, quæ iſtiusmodi hominibus frequens eſſe ſolet.

APHOR.

APHOR. 13.

In febre ardente alvus prorumpens lethale.

DILUCIDATIO.

Veriſſimum effatum de diarrhœis omnino lethalibus, quæ non ſolum quarumvis febrium acutarum, & maxime exanthematicarum, ex pleuritidis vigorem conſequuntur.

APHOR. 14.

Lethargici manibus tremuli, ſomnolenti, decolores, pulſibus tardis, tumidis palpebris inferioribus ſunt, ſuperveniunt ſudores, dejectionesque bilioſæ, & crudæ, ſive male mixtæ; ſin autem alvos ſiccas habeant, urinas & dejectiones latenter emittunt, eſt autem urina inſtar jumentorum, potum non expetunt, neque aliud quidpiam; ubi ad ſe ſe redierint, collo dolere ſe dicunt, & ſonos quosdam tranſire ſibi per aures, quicunque autem lethargicorum ſervantur, plerumque fiunt empyi.

DILUCIDATIO.

Hic textus expreſſam lethargi veri, & imaginem, & deſcriptionem offert, qua plenior, & melior vix excogitari poteſt:

Verba: *ubi ad ſe ſe redierint*, de remiſſionibus paroxismi febrilis intelligenda ſunt.

Urina

Urina jumentorum inſtar capitis dolorem, & colli dolor conſueta lethargicorum deliria arguit; idem ille ſonitus aurium indicat, quorum utrumque imminentis in aliis acutis febribus delirii anteſignanum ſymptoma eſt.

Quid vero per empyos intelligendum ſit, plerique interpretes dubitant, qui hanc vocem fere de quolibet abſceſſu, etiam pone aures, interpretari volunt: aſt alii inſignes viri tum ipſa experientia convicti, tum etiam obſervationibus *Galeni* & *Aëtii*, lethargicorum febrem cum peripneumonia comparantium, confirmati, hic vere abſceſſum in cavo pectoris intelligendum affirmant, idque eo magis, quoniam in nonnullis cadaveribus, lethargicorum more extinctis, manifeſto viderunt lethargicos hos fuiſſe ſimul peripneumonicos, cum pulmo uterque horum mortuorum mirum in modum ſanguine turgidus ſub ſectione anatomica inventus fuerit.

Et vero, quod lethargici ſimul veriſſimi peripneumonici ſint, ex pulſu eorum debili, & intermittente, ſimillimo illi, qui in peripneumonicis obſervatur, luculentiſſime cognoſcitur.

Hinc ſatis confirmatur dictum hoc hippocraticum, cur, ſi qui lethargici ſerventur, veriſſimum empyema contrahere poſſint.

APHOR.

APHOR. 15.

Quibuscunque in febribus tremores cessant sine crisi, his post aliquod tempus abscessus ad articulos, isque suppuratus, aut vesica dolorosa fit.

DILUCIDATIO.

Per febres hic intelligendæ sunt quæcunque continuæ, tum acutæ, tum longæ:

Per tremores non solum illi tremores manuum sine malis signis, deliriisque, sed maxime pulsationes illæ arteriarum carotidum communium; hi tremores ante crisin cessare dicuntur, si nulla manifesta consecuta fuerit per sudorem, alvum, urinam, & præsertim hæmorrhagias evacuatio.

Abscessus dolorosus suppuratusque ordinarie est aliquod apostema ad membra tum superiora, tum inferiora, tum etiam in juncturis, ut in pleuritide aliquando, vel in similibus febribus contingit.

Vesica dolorosa est stranguria quædam, cum, vel sine tenesmo, molimina hæmorrhoidum tum ani, tum vesicæ ordinarie portendens, quæ ipsæ aliquando etiam solvuntur, id est vel copiose, vel parcius fluunt.

APHOR.

APHOR. 16.

Qui febre acuta diutius ſecure laborant ſine dolore, aut inflammatione, aut alia ſignificatione, his exſpectandus eſt abſceſſus cum dolore, & tumore, magisque in internis partibus, his autem exſpectandus eſt abſceſſus, qui inferiores trigeſimo anno ſunt, & tunc exſpectare decet abſceſſus, ſi febris viginti dies ſuperaverit, ſenioribus autem minus fiunt abſceſſus, etſi multo tempore febres duraverint.

DILUCIDATIO.

Effatum hoc præſagit criſes imperfectas in abſceſſus abituras: quod uti in omnibus acutis morbis maxime in pleuritide veriſſimum eſt; ita etiam de loco illo, in quo veſicatorium applicatur, deinde in abſceſſum abeunte experientia docet: revera enim ſecurius diu laborant illi, qui ultra terminum acutæ febris ſine malis ſignis febriunt, præſertim, ſi exacerbationes ceperint in eandem horam incidere: de cetero effatum hoc per ſe ſatis perſpicuum eſt.

APHOR. 17.

Abſceſſus hyeme magis fiunt, & tardius deſinunt, & minus redeunt.

DI-

DILUCIDATIO.

Et hoc effatum in febribus acutis, præsertim inflammatoriis, maximeque pleuritidibus, bruma, vel vere gelido grassantibus, quæ frequenter crisi imperfecta cum abscessu ad artus modo superiores, modo inferiores solvuntur, verissimum est.

APHOR. 18.

Morbi acuti crisin recipiunt, sanguine de naribus fluente die critico, & sudore multo oborto, & urina purulentam, aut vitriformem hypostasin, eamque bonam habente, & copiose exeunte: itemque abscessu memorabili quodam, aut alvo mucosa, vel cruenta egerente subito, & vomitibus non malis, criseos tempus.

DILUCIDATIO.

Textus hic de variis speciebus crisium ultro perspicuus est.

APHOR. 19.

Somni profundi non turbulenti firmam crisin designant, turbulenti vero, cum dolore quodam corporis, sunt inconstantes.

DILUCIDATIO.

Et hic textus criseos conditionem, an perfecta, an imperfecta, cumque recidiva, aut

alterius morbi metu futura ſit, in quibusvis morbis acutis ex ſomno præſagit.

APHOR. 20.

Septima die, aut nona, aut undecima, aut decima quarta ſanguinis largi ex naribus fluxus plerumque febres ſolvunt, pariter etiam alvi fluxus bilioſus, aut dyſentericus, aut genuum, coxendicumque dolor, aut urina ad criſin concocta, in muliere vero etiam menſtruæ purgationis fluxus.

DILUCIDATIO.

Explanatio hujus textus modo ſupra inter aphoriſmos, ad rheumatismum acutum ſpectantes, data eſt.

APHOR. 21.

Quibuscunque in febribus ſanguis copioſe undecunque profluxerit, poſtquam ad ſanitatem redierint, alvos lubricas habent.

DILUCIDATIO.

Veriſſimum hoc effatum ad febres acutas pertinet: ſi nempe ſoluto morbo criſis primaria per quascunque, & undecunque fuſas hæmorrhagias ſecuta fuerit, tum alvus aliquamdiu lubrica eſt, absque dubio reliquias materiæ febrilis expediens; præſertim cum his

ca-

caſibus (teſte experientia) urina ſemper ſoleat eſſe aquoſa.

APHOR. 22.

Abſceſſus juxta aures ſubmovent tuſſiculæ, contingentes cum ſputationibus.

DILUCIDATIO.

Textus hic præcipue pertinet ad febres pectoris inflammatorias, imperfecta criſi per abſceſſum ſolvendas: quem deinde hæc ipſa ptyalismata, a ſputis diſtinguenda, ſolvere videntur, ſed, quod probe notandum eſt, non ſine febre longa pediſſequa, quod accuratior obſervatio omnino confirmat.

APHOR. 23.

Urinæ in abſceſſibus ad aures cito, & parum concoctæ malæ, & ſic perfrigerari malum.

DILUCIDATIO.

Veriſſima prognoſis de eventu abſceſſuum in acutis febribus:

Urinæ tales non rite ſubactam materiam febrilem; perfrigerium vero novæ febris exordia indicat.

APHOR. 24.

Faciei corruptio lethalis: ſed minus, ſi vel vigilias, vel inediam, vel diarrhœam fuerit ſe-

cuta; ſi enim propter hæc facies extenuata fuerit, ſedabitur per noctis, ac diei ſpatium, continetur autem hæc faciei corruptio oculis cavis, naſo acuto, collapſis temporibus, auribus frigidis, & contractis, cute dura, colore pallido, aut nigro, ſuper his liveſcens palpebra, aut labium, aut naſus, brevi & repente lethalia ſunt.

DILUCIDATIO.

Effatum per ſe ſatis clarum ad vitæ diſcrimen ex facie in omnibus febris acutis præſagiendum.

APHOR. 25.

Dolores circa hypochondria aut pulmonem, ſi ſuppurent, malum.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad febres pectoris inflammatorias, & quam maxime ad pleuritidem, ſic dictam ſiccam, item ad omnem phthiſin pulmonalem, undecunque obortam.

APHOR. 26.

Lingua tremula cum rubore juxta naſum, & alvo liquida, ſi ceteroquin nulla ſigna mala vitii circa pulmonem adſint, & celeres, perniti oſasque purgationes ſignificat.

DI-

DILUCIDATIO.

Signa hoc textu allata, non ſolum ante diarrhœas omnes, ſive cum febre conjunctas, ſive non, ſed etiam ante dyſenteriam choleram, lienteriam præcedere ſolent:

Hæ itaque ſunt iſtæ celeres, pernitioſæque purgationes, de quibus textus hic loquitur.

Excipit hic Hippocrates, ſi vitium circa pulmones adſit, quia phthiſici plerumque ſuapte natura alvi liquidioris ſunt.

APHOR. 27.

Sputa, exſcreationes in febre lividæ, nigræ, bilioſæ, ſi quidem ſupprimantur, malum, ſecedentes vero cum ratione utiles.

DILUCIDATIO.

Et hic textus præcipue ad febres pectoris inflammatorias, vel primarias, vel ſymptomaticas pertinet, præſertim in illis hominibus, qui jam ante morbum quadam pulmonis labe infecti eſſe videntur.

Secundum rationem hic denotat id, quod reſpondet tempori morbi, & reliquis ſignis.

APHOR. 28.

Quibus ſalſuginoſa ſputa ſupprimuntur, ac tuſſis, his cutis tanquam puſtulis rubeſcit, exaſperanturque omnia ante obitum.

DILUCIDATIO.

Hic textus loquitur de phthiſicis confirmatis, mortique proximis, qui nempe paulo ante mortem acute febrire ſolent, & ſuppreſſa tuſſi, atque ſuppreſſis ſputis, quadam ſpecie purpuræ prehenduntur:

Hinc alibi monet Hippocrates: ſuppuratos maxime ex pleuritide toto corpore velut puſtulis rubeſcere.

APHOR. 29.

Aphoniæ crebræ, & ſubſoporoſæ, plusculum perdurantes, deſignant phthiſin.

DILUCIDATIO.

Aphoniæ hæ vitium aliquod pulmonum deſignant: idem indicant frequentes raucedines exſpirationi, ſine qua vox formari nulla poteſt, moleſtæ.

Subſoporoſi ideo ſunt, quia plerumque in his latent vomicæ, quæ impedito ſanguinis per pulmones tranſitu cor dextrum venas cavas, & denique retrogrado itinere caput gravant.

APHOR.

APHOR. 30.

Spiritus frigidus lethalis eſt, lethalis etiam valde æſtuoſus, & veluti vaporoſus, ſed frigidus minus lethalis; & qui magnus foras exſpiratur, parvus vero intro: & viciſſim parvus foras, magnus vero intro, peſſimus omnino, & morti proximus; itemque ſpiritus extendens, & urgens, & obſcurus, & duplicata inſpiratio, veluti ſiquis inſpiraverit, ſubſiſteret, & rurſus inſpiraret.

DILUCIDATIO.

Aurea hæc ſunt ſigna ex reſpiratione in omnibus acutis morbis.

Spiritus frigidus ſtaſin ſanguinis in pulmonibus indicat, æſtuoſus autem, & vaporoſus ſpiritus, ſi cum celeri, ſed & tremulo & intermittente pulſu conjunctus ſit, pulmonum inflammationem portendit.

Magnum ſpiritum foras exſpirare, parvum vero intro, & viciſſim indicat inæquales adeſſe inſpirationes, & exſpirationes, adeoque ſpasmos in muſculis reſpirationem adjuvantibus, & magnas circuli ſanguinis per pulmones turbas.

Porro ſpiritum parvum foras, magnum autem intro adeſſe, eſt inſpirationem obſervari

ri longiſſimam & profundiſſimam, exſpirationem vero brevem, ſublimem & fugitivam.

Spiritus extendens eſt valde profundus, & oſcitationi ſimilis: inſpiratio urgens eſt anhela: obſcurus ſpiritus eſt vix ſentiendus thoracis motus, ut in deliquio animi:

Dupla introſpiratio eſt, ſi inſpirationem nondum abſolutam, & ſubito hærentem, & interceptam nova inſpiratio conſequatur.

APHOR. 31.

Bona reſpiratio in omnibus morbis, qui cum febre acuta ſunt, & quadraginta diebus criſin habere ſolent, magnam vim ad ſalutem habet.

DILUCIDATIO.

Reſpiratio naturali ſimilis non graves circuli ſanguinis per pulmones obices habet, adeoque febrem non acutiſſimam deſignat:

Decurſus febrium leviſſimarum quadraginta dies durat: niſi, quod crebrius fit, una acuta alteri ſucceſſerit.

APHOR. 32.

In dorſi ac pectoris dolore mictio cruenta ſuppreſſa, pernitioſa eſt cum dolore.

DILUCIDATIO.

Mictio illa cruenta hæmorrhoides veficæ urinariæ, quæ hæmorrhoidibus inteftini recti frequenter vicariæ funt, luculenter defignat. Hæc cruenta mictio, & rheumaticis, & pleuritide notha (quæ veriffima rheumatismi fpecies eft) affectis, præfertim fi privata corporis fabrica huic excretioni faverit, non raro faluberrima eft: uti etiam alibi Hippocrates de pleuritidibus, ab eo fic dictis ex dorfo, per hujusmodi mictionem fummopere levatis teftatur.

Eadem cruenta mictio ex quacunque caufa fuppreffa, frequentiffime perniciofa eft, quin & lethalis erit, fi cum magno dolore fuppreffio hæc conjuncta fit: & præfertim, fi cum inflammationibus inteftinorum atrocia colicæ tormina iliacorum æmula adfint, junctis fimul ftranguriis, & tenesmis, lumborumque doloribus, id eft, fi colica, vulgo fic dicta hæmorrhoidalis fimul conjnngatur.

Patet itaque, quod hic textus fit aliquis ex fumme memorabilibus Hippocraticis, quoniam hæc omnia ita effe, & in praxi obfervari, accuratior experientia uberrime confirmat.

APHOR. 33.

In pectoris dolore febriculoso alvus turbata torpida nigrorum egestorum signum.

DILUCIDATIO.

Febriculosus hic pectoris dolor est rheumatismus quidam vel pleuritis notha: sed febris hæc tam levis esse solet, ut non nisi ab exercitatissimo in praxi medica adesse observetur.

Alvus turbata, torpida, est alvus modo sicca, modo lubrica:

Nigræ egestiones sunt quædam sanguinis, ex parca hæmorrhoidum fluxione relicti, & ante egestionem in imo colo, & intestino recto coagulati portio.

APHOR. 34.

Quibus elevantur hypochondria & præcordia alvo suppressa, malum, maxime autem in longis morbis phthisicis, & quibus alvi jam humectantur.

DILUCIDATIO.

Præclarus hic textus referendus est tum ad omnes morbos acutos, tum chronicos, & maxime ad phthisin, eamque confirmatiorem,

ſi ad eam diarrhœa, quæ hic per alvi humectationem intelligenda eſt, modo acceſſit.

APHOR. 35.

Quibus repente ſine febre quidem exiſtentibus hypochondriorum & circa pilorum dolor, atque ad crura, internasque partes, & alvus tumet, ſolvet venæ ſectio, & alvi fluxus, his nocuum eſt febrire, longæ enim & vehementes febres fiunt, & tuſſis, & reſpiratio difficilis, & ſingultus, his autem ad ſolutionem tendentibus, dolor fortis coxarum, aut ſputum puris, aut cæcitas ſuccedit.

DILUCIDATIO.

Hic textus modo in prioribus ad rheumatismum acutum pertinentibus aphorismis a me explicatus eſt.

APHOR. 36.

Dolor in pectus firmatus cum quodam torpore malum, hi cum febre repente pereunt.

DILUCIDATIO.

Notatu digniſſimus hic textus pertinet ad peripneumonias nothas, & pleuritides quoque ſic dictas nothas, quæ cum dolore ſaltem gravativo, & a parvis initiis increſcente, item cum

reſpiratione quadam difficili conjunctæ, medicos plerumque fallunt, tandem vero, pulmonibus ſanguine oppletis, repente vel ſuffocatorio, vel apoplectico modo necem afferunt.

APHOR. 37.

Pleuritici, quibus in principio varia ſputa ſunt, tertia die moriuntur, aut quinta, ſi vero has evaſerint, non multo levius habentes, incipiunt ſuppurari die ſeptimo, aut nono, aut undecimo.

DILUCIDATIO.

Prognoſis hæc, & ſequentes omnes de pleuritide prognoſes ſunt prorſus admirandæ, & referendæ ad omnes morbos pectoris inflammatorios.

Probe hic notandum eſt, omnia ſuperius dicta certiſſime tunc eventura eſſe, ſi his morbis vera, & juſta cura, aut in initio, aut in ipſo eorundem decurſu oppoſita non fuerit.

Si enim hi morbi ſuo tramite ſine juſtis medici auxiliis perrexerint, neque per crebras largasque ſanguinis miſſiones, & idonea antiphlogiſtica inflammatio minuatur, & ſat evacuatis primis viis (ne nova ex his reſorpta materies inflammatoria ſanguini modo ſatis inflammato addatur) liberior ſanguinis per pul-

mones

mones tranſitus reſtituatur, ſane deplorabilis morborum exitus erit.

Varia ſputa ideo ſunt pernitioſa, quia gravioris inflammationis indices ſunt.

APHOR. 38.

Quibuscunque pleuriticis in dorſo rubor, & ſcapulæ incaleſcunt, & alvus turbatur bilioſis, & graveolentibus, hi periclitantur undecima die, hanc effugientes ſervantur.

DILUCIDATIO.

Hic textus loquitur de quacunque pleuritide, ſed paulo longiore, ob inflammationem ad muſculos thoracis externos ſimul porrectam, & ut præclare magnus Aretæus obſervavit, cum rubore illo dorſi conjunctam.

Pleuritis hæc plurimum periculi circa vigeſimam, & quadrageſimam diem habet, utpote ad pleuritidem notham propius accedens, & velut ad exteriora verſa, cum alias pleuritides magis præcipites eſſe ſoleant:

Bilioſa, & graveolentia per alvum in his caſibus ad molimina hæmorrhoidalia pertinent, atque ad illas pleuritides, quas alibi Hippocrates pleuritides ex dorſo appellat, & mictione

cruenta,

cruenta, hæmorrhoidibusque inteſtini recti finiri probe, & rectiſſime obſervavit:

Ratio hic ex commercio, quod vaſa lumborum, dorſi, pelvis, & muſculorum inter ſe habent, abunde patet.

APHOR. 39.

Pleuritides ſiccæ, & ſine ſputo difficillimæ, horribiles etiam, in quibus dolores ſupernæ ſunt.

DILUCIDATIO.

Uti generatim hic de voce pleuritidis notandum eſt, quod omnes pectoris inflammatoriæ affectiones ab Hippocrate ſub hac voce comprehendi ſoleant:

Ita pleuritis ſicca, vel proprie ſic vocanda, & ſtricto ſenſu vera, illa eſt, quæ cum ſola inflammatione in vaſis ſaltem intercoſtalibus, & thoracis, non vero ſimul pulmonalibus decurrit; unde de ratione viarum ſputi, quod extravaſati quoddam genus eſt, diſputare hic non attinet, præſertim cum pulmones non ſint affecti.

Hæ pleuritides ſiccæ, etſi a quibusdam ob ſola affecta vel inflammata vaſa intercoſtalia negatæ ſint, omnino obſervantur, & dantur: ſed paulo rariores ſunt.

Do-

Dolores ad superiora id est circa claviculam, ob viciniam asperæ arteriæ, musculorumque laryngis, adeoque anginæ metum, sane periculosi sunt.

APHOR. 40.

Pleuritides, quæ tussi nihil trahunt, difficiliores his, quæ aliquid educunt.

DILUCIDATIO.

Sensus hujus textus est idem, qui mox præcedentis.

APHOR. 41.

Pleuritici, quibus per initia lingua biliosa fit, crisin habebunt septima die, tertia vel quarta die ante undecimam.

DILUCIDATIO.

Lingua biliosa hic a colore saltem sic dicta est, quæ paulatim arescens cum omni ambitu faucium flavescit: id si sub initium contingat, febris erit acutior; si vero tardius, producetur morbus ad decimum quartum diem, quem terminum raro excedet.

APHOR. 42.

Bulla sublivida oriente in lingua per principium pleuritidis, qualis est ferri, oleo tincti, diffi-

difficilior erit ſolutio, & criſis quidem ad decimum quartum diem pervenit, ſanguinem autem plerumque ſpuunt.

DILUCIDATIO.

Memorabilis & hæc de varia pleuritidis diuturnitate prognoſis:

Bulla livida lentam epidermis linguæ ſeparationem ob ſubtus collectum humorem, adeoque vel ſic diuturniorem fore febrem deſignat, præſertim ſi fauces ſimul non adeo aridæ obſerventur.

Sanguinem hi plerumque ſpuunt, quia teſte experientia pleuropneumonici ſunt.

APHOR. 43.

Sputum in pleuriticis tertia die coqui, ſolvique incipiens citiores facit ſolutiones; poſterius vero tardiores.

DILUCIDATIO.

Circa ſputum pleuriticorum, ejusque ſic dictam coctionem multi errant:

Maturari ſputum hic eſt, quod cito flaveſcit, & ſanguinis veſtigia habet: tales pleuropneumoniæ acutiores ſunt, ſed etiam eadem ex cauſa citius ſolvuntur, & ubicunque in hujusmodi

jusmodi morbis ſputum tardius ſic maturatur, pleuritici etiam diuturnius pro modulo ſtadii ægrotant.

APHOR. 44.

In doloribus pleuriticorum utile eſt, alvum molliri, ſputa colorari, ſtrepitus in pectore non fieri, urinam bene procedere, horum contraria difficilia, itemque ſputum dulce redditum.

DILUCIDATIO.

Hic textus mox præcedentem explicat:

Alvus mollis eſt alvus neque profuſa, neque conſtipata, ſed obſequens: ſputa colorata ſunt maturata juxta ſenſum præcedentis textus:

Strepitus in pectore, morbum ad vigorem progreſſum non penitus eſſe immedicabilem, ſed aliquam ſanguinis adhuc per pulmones libertatem deſignat:

Urina bene procedens illa eſt, quæ neque ſubſiſtit, neque nimia eſt, nec ſtatim a potu aquoſa redditur.

Si ſtatim a potu aquoſa redditur, ſemper, ut monet Hippocrates, periculoſa eſt: & ſane ejusmodi urinam periculoſam eſſe experientia teſtatur, ſcilicet denſi in ſanguine inflammatorii, quod miſcelam potus non recipit, abundantiam deſignat:

Sputum dulce latentis antea ulceris cujusdam indicium eſt.

APHOR. 45.

In omnibus pleuriticis dolores plerumque interdiu leviores, quam noctu.

DILUCIDATIO.

Ratio hujus textus notatu digni repetenda eſt a remiſſionibus febris, quotidianam, vel quotidianam ex tertiana typo ſuo æmulatæ: excipiam hic, ſi exacerbationes febris adeo præverterint, ut ex nocturnis diurnæ fiant.

APHOR. 46.

Bilioſæ, ſimulque ſanguineæ pleuritides plerumque nona & undecima die criſin habent, & maxime ſanantur.

DILUCIDATIO.

Bilioſæ & ſanguineæ pleuritides ſunt, quibus ſputa mature flava & ſubcruenta, ſubcruenta inquam, ſed non plane ſanguinolenta apparent.

APHOR. 47.

Quibus pleuriticis initio dolores molles ſunt, quinta vero, vel ſexta die exacerbantur, hi magis ad duodecimam perveniunt, & non omnino ſervantur, periclitantur autem maxime

me ſeptima, & duodecima die, quatuordecim dies ubi effugerint, ſervantur.

DILUCIDATIO.

Hic textus admonet, levibus morbi initiis non fidendum eſſe; nam hic deſcriptæ pleuritides, vel pleuropneumoniæ periculoſiſſimæ ſunt, & niſi inter copioſa antiphlogiſtica crebris venæ ſectionibus in initio, quin etiam poſtea ſuccuratur, raro curabuntur, ſed vel circa duodecimum diem ſuffocabunt ægrum, aut in abſceſſum pulmonis, aut thoracis, paulo tardius interemturum, abibunt.

APHOR. 48.

Quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi multus in pectore, & facies ſubtriſtis, & veluti ſtupida, & oculus icterodes, & caliginoſus, pereunt.

DILUCIDATIO.

Effatum hoc pertinet ad vigorem pleuritidis, vel pleuropneumoniæ.

His enim præſentibus ſignis, ſi æger ad mortem tendens remediis idoneis, maxime juſtis ſanguinis miſſionibus non ſublevetur, deplorata rerum facies aderit.

APHOR. 49. [a]

Qui ex pleuritide ſuppurati pectore fiunt, exſpuunt intra quadraginta dies a ruptione.

DILUCIDATIO.

Hic textus eſt unus ex ſumme memorabilibus ſapientiſſimi ſenis effatis.

Pleuritis, aut pleuropneumonia gravior vel per apoplexiam, vel per ſuffocationem terminatur, aut ſi mortem eluctatus fuerit æger, abſceſſus in pectore, aut pulmonibus enaſcitur: hic inde a vigore pleuritidis, aut pleuropneumoniæ formari incipit, febre acuta in longam, & mitiorem tendente: tempus quo formatur abſceſſus, non idem ſemper eſt, ſed interdum ad tertiam usque hebdomadem porrigitur.

Rupto abſceſſu ſputum puris ſtatis plerumque de die horis contingit, & hoc puris ſputum non diutius quam quadraginta diebus durare debet; alioquin manifeſta phthiſis ſuccedit.

Hic verus ſenſus eſt hujus memorabilis effati Hippocratici:

Abſceſſus autem maxime intelligendi ſunt ii, qui ſic rumpuntur, ut puri aditus in bron-

chia

chia pateat, nam abſceſſus externos vel pleuræ triſte empyema in concavo thoracis conſequitur, quod per ſputum puris finiri non poteſt.

Similem textum alibi quoque adfert Hippocrates verbis ſequentibus.

APHOR. 49. [b]

Qui ex pleuritide ſuppurati fiunt, exſpuunt intra quadraginta dies a ruptione.

DILUCIDATIO.

Obſcuriſſimus hic textus non niſi ſedula obſervatione intelligitur, pertinetque ad pleuritidem proprie dictam humidam, itemque ad pleuropneumoniam, ubi febris fortaſſe non vehementiſſima, adeoque mortem non inferens, neglectis ſanguinis miſſionibus in abſceſſum abiit, & hic circa decimum quartum diem intra pulmones, non vero in cavo pectoris formatus fuit: tum vero perdurat febris lenta, & plerumque octo, vel quatuordecim diebus a fine ſtadii inflammatorii, interdum etiam paulo tardius abſceſſus maturatur, & rumpitur, purisque ſputum plerumque ſtatis de die temporibus contingit.

Hoc puris ſputum (qui ſenſus eſt Hippocratis) non debet produci ultra quadraginta dies,

dies, ſed circa quadrageſimam diem paulatim cum febris decremento, & corporis recreatione finiri; alioquin in phthiſin, & ineluctabilem mortem tranſitus fit.

APHOR. 50.

Sputum in omnibus pleuriticis, & peripneumonicis facile, & cito convenit ejici, flavum autem fortiter admixtum eſſe: quod vero diu poſt dolorem educitur flavum, aut non mixtum, & multam tuſſim exhibens, malum eſt: pravum autem omnino eſt flavum meracius, & viſcoſum, & rotundum, & valde viride, & ſpumoſum, & lividum, & violaceum; pejus autem ita meracum, ut nigrum appareat: ſanguine non multo permixtum flavum in principio ſalutare eſt: ſeptima die vero, aut ſi quis diutius ſeptem diebus ægrotavit, demum obortum minus tutum: ſanguineum vero valde, aut lividum ſtatim in principio periculoſum: prava ſunt etiam ſputa ſpumoſa, & flava, & nigra, & violacea, & æruginoſa, & viſcoſa, & quæcunque cito colorantur; ſed mucoſa, & fuliginoſa veluti & cito colorantur, & ſecuriora ſunt; quæ vero intra quintam diem ad coctionem colorantur, meliora ſunt.

DI-

DILUCIDATIO.

Egregiæ ex ſputorum varia conditione prognoſes ultro perſpicuæ, præcipue ſi meminerimus (ut quoque in deſcriptione morborum pectoris pag. 20 adduxi) ſputa hæc eſſe genus extravaſatorum, unde de nimio ſtatim admixto ſanguine, ſimilibusque, cur mala ſint, ratio clariſſime patet: ſic ſputa heterogenei coloris, plerumque latentium vomicarum indices ſunt: diu poſt dolorem educitur ſputum, ſi diu tuſſis ſicca in pleuritide ſicca præceſſerit. Cito colorari dicuntur ſputa, ſi repente ex uno colore in alium tranſeant, & hæc ſunt periculoſa, exceptis ſputis mucoſis.

Ad coctionem colorari ſputa dicuntur illa, quæ ab initio verſus vigorem cum levamine morbi, dolorum, reſpirationis, aliisque bonis ſignis præſentibus rurſus palleſcunt, & naturali aſperæ arteriæ muco ſimilia fiunt: hæc liberius permeantem per pulmones ſanguinem indicant.

Porro ſputum in omnibus pleuriticis ac peripneumonicis facile & cito exſpui convenit; item flavum in initio ſputum bonum eſt: quod vero longe poſt dolorem educitur flavum, aut non mixtum, tuſſim inducens, malum eſt; longe enim poſt dolorem ſpuere, longiorem & graviorem inflammationem deſignat.

Sputum non mixtum & cum multa tuſſi arguit potius pleuritidem veram, quam pleuropneumoniam: ſputum vero, diu poſt dolorem eductum, pleuritidis in pleuropneumoniam tranſitum deſignat.

In pleuritide autem vera ob inflammationem magis ad coſtas hærentem ſemper minora, imo nulla ſæpe ſputa obſervantur; & niſi hæc pleuritis ſolvatur, plerumque empyema in cavo thoracis ſubſequitur.

Malum penitus eſt ſputum flavum, meracius, & viſcoſum (quoniam hæc omnia potius pleuritidis ſiccæ, quam pleuropneumoniæ ſputa ſunt. Sputum valde viride, & ſpumoſum, & lividum & violaceum antiqua pulmonum vitia adeſſe indicat.

Pejus autem aliquando ſputum eſt, quod ita meracum eſt, ut penitus nigrum ſit; indicat enim coagula ſanguinis, gravemque extravaſationem, quæ, uti in hæmophthiſi vehementi, ita hic non ſine gravi pulmonum inflammatione eſſe poteſt, & mali prorſus ominis eſt: ſputum ſanguine non multo permixtum, flavum in principio (quod levem extravaſationem & brevem morbum deſignat) ſalutare eſt: quod vero ſeptima die, aut poſterius ejicitur, minus tutum eſt, quoniam morbus

morbus erit longior, & ad decimum quartum diem durabit: forte etiam tranſitus ex pleuritide proprie dicta in pleuropneumoniam tum fiet:

Sputum valde ſanguineum, aut lividum ſtatim in principio, periculoſum eſt; quoniam & gravis adeſt extravaſatio, quæ liberiorem ſanguinis per pulmones circulum impedit, & forte etiam antiquus pulmonis abſceſſus, unde ſputi livor eſt, intus latet.

Prava ſunt etiam ſputa ſpumoſa (quæ quidem potius pleuritidis, quam pleuropneumoniæ ſputa ſunt) & flava, & nigra, & æruginoſa, & viſcoſa, & quæcunque hos colores cito contrahunt, quoniam hæc omnia plerumque priſtinæ, in pulmonibus hærentis, labis ſigna ſunt:

Sed mucoſa, & ſubfuliginoſa, & quæ cito ſic colorantur (id eſt cito flavum & ſubcruentum colorem contrahunt) ſecuriora ſunt.

Quæ vero intra quintum diem ad coctionem colorantur, meliora ſunt. Ad coctionem colorari dicuntur ſputa, ſi ex flavis aut ſubcruentis, alba & ſeroſa fiant, & interim dolores leventur, reſpiratio facilior fiat, & adſint initia criſeos per ſudorem & urinam &c.

Hæc enim imminutam jam extravaſationem liberioremque ſanguinis per pulmones tranſitum indicant.

APHOR. 51.

Omne ſputum dolorem non ſolvens, malum eſt, ſolvens autem bonum.

DILUCIDATIO.

Sputum non ſolvens dolorem, malum eſt, quia gravem extravaſationem, gravemque ſanguinis in pulmonibus obicem arguit.

APHOR. 52.

Quicunque cum bilioſo ſputo educunt purulentum aut ſeorſim, aut permixtum, plerumque moriuntur decima quarta die, niſi boni, aut mali quid ſuperveniat ex præſcriptis; ſin minus, pro ratione, maxime vero, qui ſeptima die tale ſputum ejicere jam incipiunt.

DILUCIDATIO.

Bilioſum ſputum (a colore ſic dictum) leviorem extravaſationem denotat, ideo quidem non melius ceteris ſputis eſt, niſi & cetera E. G. facilioris reſpirationis & minoris doloris ſigna conſenſerint.

Cum bilioſo ſputo purulentum educi, ante latentem vomicam arguit, his plerumque

ea de cauſa gravior pulmonis inflammatio, ſed paulo lentior eſt, & mors circa decimum quartum diem evenire ſolet.

Mala itaque ſigna ex prædictis E. G. ex difficultate reſpirationis, & doloribus cæterisque petenda erunt.

APHOR. 53.

Bonum eſt in his, & omnibus circa pulmonem morbis, facile ferre morbum, dolore liberari, ſputum facile educere, facile ſpirare, ſine ſiti eſſe, & totum corpus æquabiliter caleſcere, & molle eſſe, & ad hæc ſomnos, ſudores, urinas, alvi egeſtiones bonas eſſe: mala vero his contraria. Siquidem igitur omnia bona ad hoc ſputum acceſſerint, ſervari homo poterit, ſi vero quædam adfuerint, quædam non, non ultra decimam quartam diem victurus peribit, ocius contrariis accedentibus ſignis.

DILUCIDATIO.

Præclariſſimus hic textus ultro intelligitur: hoc tamen addam, quod facile ferre morbum, hic de omni morbi decurſu intelligendum ſit: attendat itaque ſagax medicus, ne morbus, levibus interdum initiis incipiens, illum fallat.

APHOR. 54.

Quicunque dolores in his locis non ſedantur, neque per ſputa, neque per venæ ſectiones, neque per diætas, ſuppurant.

DILUCIDATIO.

Prognoſis hæc plane memorabilis eſt de abſceſſu, ex his morbis, aut in loco affecto, aut alibi, præſertim ad aures, ad artus inferiores &c.; ſecutoro: perſiſtente enim circa vigorem morbi levi dolore, & commodius hunc dolorem ferente ægro, miteſcente item non tamen evaneſcente febre, urina cruda, cuti ſicca, neque ſecutis aliis criſeos ſignis, abſceſſus eo loco metuendus erit, ubi ſine alia ratione dolor, aut perſiſtit, aut ſuboritur.

APHOR. 55.

Quibuscunque ex peripneumonia abſceſſus ad aurem, aut ad inferiora fiunt, ſuppurantque, & fiſtulantur, hi ſuperſtites evadunt; fiunt autem his, quibus & febris, & dolores producta fuerint, & ſputum non prodierit citra rationem, neque bilioſæ alvi egeſtiones, ſolutuque faciles, & meraceæ fiant, neque urina craſſa valde, & multam ſubſidentiam habens, & alia ſalutaria habuerint: fiunt autem ad inferiora, quibus circa hypochondria æſtus eſt, inflammationes; ad ſuperiora vero, in

in quibus præcordia, vel hypochondria mollia, & non dolentia fuerint, & ubi per aliquod tempus difficulter ſpiraverint, atque hoc citra manifeſtam cauſam ceſſavit.

DILUCIDATIO.

Egregium præſagium non tantum abſceſſus cujusvis ſed & loci ipſius, in quo abſceſſus conſequitur.

Probe autem notandum, quod peripneumoniæ vox omnem hujus generis pectoris morbum apud Hippocratem deſignet.

APHOR. 56.

Abſceſſus ad crura in periculoſis inflammationibus pulmonis omnes quidem, morbique ſolutorii, optimi autem ſputo purulento pro flavo evadente; non procedente vero ſputo ſecundum rationem, neque urina bonam ſubſidentiam habente, periculum eſt, claudum fore hominem, & multum moleſtiæ exhibiturum medico; ſi vero recurrerit abſceſſus perſiſtente febre, & procedente, periculum eſt, ne moriatur, ac deliret.

DILUCIDATIO.

Hic textus juſto eget interprete.

Abſceſſuum omne tempus in his morbis trans inflammatorium ſtadium porrectum eſſe hic docetur; ægri enim, qui ex his morbis moriuntur, finem ſtadii inflammatorii non attingunt, ſed ſuffocati, aut apoplectici in vigore hujus ſtadii, quod longius eſt, ac vulgo creditur, moriuntur; ſi vero mortem evaſerint, & tum poſt vigorem, ad abſceſſum ventum fuerit, ex hoc evadunt alii pro loco, modoque abſceſſus, alii tandem phthiſici pereunt.

Sputum purulentum ſub abſceſſu ad crura deſignat hic non vere purulentum, ſed album ſaltem aliquid puri conſimile, & niſi hæc vera Hippocratis mens eſſet, abſceſſus ſimul in pulmone foret; quia vero abſceſſus ad artus cum nova febre, & ſæpe ſatis acuta fiunt, ipſique abſceſſus inter celluloſa muſculorum interſtitia canales varios concipiunt, facile patet ſequentium omnium ratio: cur claudus poſſit fieri homo, cur moleſta curatio ſit, cur aliquando pleuritis veluti recidiva incidere poſſit, ſi non antea (antea inquam) ſputum & reliqua recte proceſſerint, cur denique abſceſſus alius alium ſequi poſſit, cur periculum vitæ ægroto tot febrium acutarum ſequelis attrito immineat, cur delirium etiam vel hoc tempore ſane mali ominis adeſſe poſſit.

Om-

Omnibus his in caſibus vis inflammatorii ſanguinis non ſatis expedita fuit, & nova ipſis febribus ſucceſſivis concipitur inflammatio: quare ſtatim ab initio danda opera eſt, ſive levius, ſive gravius initium morbus habuerit, ut per iteratas venæ ſectiones, & idonea antiphlogiſtica ſtadium inflammatorium ſine abſceſſu ſolvatur ac finiatur; quantum enim inflammatorii ſanguinis detraho, tantum naturam onere coquendi levo, etſi ſimul ſemper boni ſanguinis aliquid non poſſit non emitti.

Rectiſſime hic prudens medicus juſtum venæ ſectionum limitem tum ex infirmi doloribus, tum ex reſpirationis difficultate decernet, eaque ſtatuet eſſe peragenda, quæ & viribus ægroti, & vehementiæ morbi conveniunt.

Quod ſi ſanguinem tam diu mittere vellem, donec cruſta ſanguinis inflamatoria apparuerit, omnem citius ſanguinem evacuarem, & naturam potius frangerem, quam eandem graviſſimo ſub onere laborantem adjuvarem.

Interim perdita, aut ſaltem dubia rerum facies eſt, ſi ſub ſerioribus venæ ſectionibus præſertim circa vigorem ſtadii inflammatorii, miſſus ſanguis valde adhuc pelliceus appareat.

APHOR.

APHOR. 57.

Quicunque peripneumonici non purgati ſunt potioribus, vel criticis diebus, ſed ſubdelirantes effugerint quatuordecim dies, eos periculum eſt ſuppuratos fieri.

DILUCIDATIO.

Cum peripneumonicis hic ſimul pleuropneumonici comprehenduntur.

Purgari hic eſt ſputa emittere bona, itemque ſudores vere criticos, urinasque coctas, & alias criſeos ſpecies ſequi, quibus etiam includuntur ſalubres diarrhœæ, aut hæmorrhoides utriusque generis copioſæ.

Per potiores, ſive criticos dies hic non certus dierum numerus, ſed generatim vigor morbi denotatur: qui ergo circa hoc tempus, id eſt vigorem morbi, ad delirium pervenerint, effugerintque decimum quartum diem, id eſt, longiſſimum ſtadii inflammatorii terminum, his ſane abſceſſus timendus eſt, quia febris, & relicta materiæ inflammatoriæ vis. in illis, cum quibus tum ad deliria ventum eſt, nulla amplius criſi expedita ſuperſtite, non aliter niſi per abſceſſum vindicari poterit.

Si

Si itaque ejusmodi ægris, longiſſimum præcipitis morbi ſtadium emenſis, alicubi ob defectum abſolutæ criſeos, vel quia non purgati ſunt, ut loquitur Hippocrates abſceſſus oboritur, hoc nemini mirum videatur.

APHOR. 58.

Peripneumoniæ ex pleuritide transmutatæ, ſecuriores ſunt his, quæ fiunt ab initio.

DILUCIDATIO.

Experientia docet, quod univerſus totius corporis ſanguis, ſive arterioſus, ſive etiam venoſus, in his morbis non æquabiliter inflammatus ſit in principio præcipue morbi: ſed hæc univerſalis inflammatio non prius niſi in vigore morbi adeſſe obſervatur; nam glebas illas inflammatorias, id eſt materiam inflammatoriam aut ex febre, aut ex primis viis, ut ſumme credibile eſt, reſorptam, & in maſſam ſanguineam receptam partitim vehi, docet ſanguis ipſe in initiis morbi miſſus, qui partim denſus & ruber, partim cruſta inflammatoria pellicea obductus apparet, ita ut in uno vaſculo merus rutilus, denſusque, in altero vaſculo magna cruſta pellicea obductus ſanguis inveniatur:

Peri-

Peripneumonia ab initio transmutata ex pleuritide, hoc eſt, ſi ad pleuritidem veram peripneumonia accedat, arguit magnam harum glebarum, vel materiæ hujus in via regia pulmonis hærentis copiam, & tum ex vera hac pleuritide pleuropneumonia pronascitur, ſi ſic pleuritis & peripneumonia conjungantur.

Hæc transmutatio vehementem materiæ inflammatoriæ motum adfuiſſe, hujusque maximam copiam in initio morbi in arteriis intercoſtalibus hæſiſſe indicat, quæ ex his excuſſa & ad radices venæ azygos, vel etiam ipſarum pulmonalium in quibusdam corporibus transmiſſa, indeque ad pulmones delata, ibi peripneumoniam, aut potius pleuropneumoniam produxit.

APHOR. 59.

Corpora exercitata, ac tenſa a pleuriticis, & peripneumonicis morbis facilius & citius pereunt, quam inexercitata.

DILUCIDATIO.

Veriſſimum effatum; vis enim omnium horum morborum in ſanguine denſo, multaque materia inflammatoria fœto conſiſtit;

Operariis, qui tenſa & laboribus exercita corpora habent, ſanguis denſior, & nigrior, in-

inflammatoriæque indoli propior eſt, quam ſedentariam vitam agentibus: inde plebs operaria difficilius aliis laborat, inde maxime omnium fœminæ, utpote gravioribus laboribus minus preſſæ, ex morbis his non ſolum eluctantur, ſed & rarius in illos incidunt, id quod alibi Hippocrates rectiſſime obſervavit.

APHOR. 60.

Gravedines & ſternutationes in affectibus pulmonis & anteceſſiſſe, & accedere malum eſt, reliquis morbis ſternutatio non inutilis.

DILUCIDATIO.

Gravedines, & ſternutationes non ſolum in omnibus acutis pulmonum affectionibus, ſed etiam in chronicis, ut aſthmate, teſte experientia, malæ notæ ſunt, ea quidem, ut exiſtimo, de cauſa, quia non ſolum ſternutatio oneratos ſanguine pulmones afficit, ſed etiam & gravedo, & ſternutatio ab eadem pulmonum plenitudine, ortaque inde gravedine capitis viciſſim cientur:

Reliquis morbis etiam graviſſimis ſternutationes utiles eſſe alibi Hippocrates monet:

Atque hæc non ſolum de primariis his, ſed etiam ſymptomaticis affectionibus E. G. pleu-

pleuritide ad variolas, vel morbillos accedente valere, ſedulo notandum eſt.

APHOR. 61.

Peripneumonicis, quibus lingua tota alba, ac aſpera fit, ambæ pulmonis partes inflammatæ ſunt, quibus vero dimidium, una, juxta quam apparet, & quibus ad unam claviculam dolor fit, his ſuperna pulmonis ala una ægrotat, quibus autem ad ambas claviculas dolor fit, ambæ ſupernæ pulmonis alæ ægrotant, quibus juxta mediam coſtam, media, quibus ad mediam dorſi linguæ convallem, inferna, ut unam partem totam dolentibus, omnia juxta hanc partem ægrotant, ſiquidem igitur valde inflammatæ fuerint aortæ, utrimque adpendentes pulmonis partes valde inflammatæ ſunt, ut ad latus adhæreſcant, vel ad coſtas, hac corporis parte reſolvuntur, & livores foris circa latus habent, hos autem veteres ſideratos vocabant: ſi vero non valde inflammatæ ſint, ut aſſedeant, vel adhæreſcant, dolor quidem fit undique, non tamen reſolvuntur, neque livores habent; quibus vero totus pulmo inflammatus fuerit una cum corde, ut ad latus allabatur, hi toti reſolvuntur, & jacet æger frigidus, ſenſus exſors, moriturque ſecunda, aut tertia die, ſi vero etiam ſine corde id contigerit, minus diu vivunt, quidam etiam interdum ſervantur.

DI-

DILUCIDATIO.

Valde quidem memorabilia hæc ſunt per ipſam ſine dubio experientiam ſeni perſpecta: ad abſolutam tamen certitudinem experientia ulteriore & ſectione cadaverum opus habent.

Quod de ſideratis affert Hippocrates, hoc pertinet ad mortem ſubitaneam per ſuffocationem, vel apoplexiam, tum peripneumonicorum, tum pleuropneumonicorum, in vigore ſui morbi ſine præmiſſis juſtis venæ ſectionibus modo conſtitutorum: repetit hæc verba Hippocrates in libro de victu acutorum Sect. 8.

Per aortas hic bronchia intelligenda ſunt; veteres enim ſolebant omnes amplos canales aortas nominare.

Quæ de inflammatione pulmonis, cordisque ſimul monentur, hæc ob vaſorum commercia ad omnem gravem pectoris inflammationem pertinent. Pertinet hoc etiam ad vaſa mediaſtina, & pericardica, quin coronaria cordis, ſi ſimul inflammentur: talem mediaſtini, & pericardii gravem inflammationem recenſet magnus *Avenzoar* arabs: neque deſunt apud alios viros expertiſſimos ſimilia exempla.

Et

Et ſane in morbo valde gravi id ſemper, præſertim, ſi ſanguinis miſſiones neglectæ fuerint, detegi poſſet, ſi cadavera ſemper ſecari poſſent.

APHOR. 62.

Qui ſuppurati fiunt, maxime ex pleuritide, & peripneumonia, eos calores comitantur interdiu tenues, noctu vehementiores, & nihil memoratu dignum ſpuunt, & circa collum, & claviculam ſudant, & oculi cavi fiunt, maxillæ vero rubent, digiti ſummi deterius caleſcunt, & exaſperantur, ungues curvantur, & perfrigerantur, & circa pedes tumores habent, & circa coſtas puſtulas, & abſtinent a cibis, diuturnæ igitur ſuppurationis ſigna hæc habent.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad pleuritides, & peripneumonias, imperfecta criſi ad abſceſſum pulmonum, vel, quod pejus eſt, pleuræ ſolius pervenientes:

Pulmonum abſceſſus ruptione, ſputisque puris ſolvi poſſe ſpes eſt:

Pleuræ vero abſceſſus in empyema verum, vel pus in concavo pectoris collectum abeunt.

Si

Si igitur ſine perfectæ criſeos ſignis acutæ inflammationis decurſus poſt diem decimum quartum, in febrem longam, ea ratione, qua in hoc aphoriſmo deſcribitur, decurſuram abierit, tunc incipit, & adeſt illud ipſum tempus, quo abſceſſus maturatur: & hoc quoque tempus non in omnibus ægris hujusmodi æque longum eſt; nam interdum octava die, interdum multo tardius, & tertia demum ſeptimana ruptio abſceſſus contingit:

Sputum hoc tum ultra quadraginta dies (ut ſupra Hippocrates monuit) produci non convenit, ſed debet circa quadrageſimam diem una cum febre paulatim minui; alias phthiſis manifeſta ſuccedet.

APHOR. 63.

Quæ vero ſuppurationes brevi rumpuntur, ex conſequentibus ſignis agnoſcere oportet, & ex doloribus in principio, ſimul autem, ſi aliquando difficilius ſpiraverit homo, rumpuntur autem plurimæ ſuppurationes partim vigeſima die, partim quadrageſima, partim ſexageſima.

DILUCIDATIO.

Præclariſſima hic traduntur generalia ſigna, quo tempore exſpectari ruptio cujuscunque abſceſſus debeat: ſcilicet in principio, id

eſt

eſt, in principio febris longæ, poſt finem acuti ſtadii, ſi dolores acuti fuerint, & homo difficilius eo tempore & deinde ſpiraverit, ſpes eſt, abſceſſum ob inflammationem citius ad ruptionem productum iri:

Inter hæc tamen ſigna, cum priſtinum ſtadium inflammatorium manifeſto jam ſuperatum fuiſſe creditur, alterum ſæpe ſtadium inflammatorium de novo jungitur; hinc eo tempore venæ ſectio minime negligenda erit, quin & ſecunda, imo ſi vires ægroti ſufficiant, tertia vice iteranda eſt; & ſic nova inflammatio, quæ inſtantis abſceſſus pediſſequa eſſe ſolet, mirifice levabitur:

Sed hæc omnia judicio exercitati medici relinquenda eſſe, juſte arbitror.

Reliqua effati hujus ad tempus, quo abſceſſus rumpuntur, pertinent: id quod modo citius, modo tardius teſte experientia contingit: ſæpe tamen multo citiorem abſceſſus ruptionem, quam quæ termino 20 dierum circumſcribitur, ego ipſemet vidi.

APHOR. 64.

Quibus igitur dolor in principio eſt intentus, & ſpirandi difficultas, & tuſſis cum ſputatione, ad vigeſimam diem, aut citius

eruptionem exſpecta: quibus autem leviora hæc ſunt, juxta rationem: ſupputare autem oportet tempus, a quo primum doluit, aut gravatus fuit, aut febriit, aut ſi quando rigor corripuerit, neceſſe autem eſt præcedere & dolorem, & difficultatem ſpirandi, & ſputationem ante ruptionem.

DILUCIDATIO.

Hoc textu tempus, quo hi morbi in abſceſſum abituri ſint, docetur.

Notandum autem hic eſt, ſuppurationem a principio ipſius morbi, ſtadiique ejus inflammatorii, ſi hoc vera criſi non ſolutum fuerit, capiendam eſſe.

APHOR. 65.

Quibus & febris ſtatim poſt ruptionem decedit, & cibum appetunt, & pus facile educitur album, inodorum, leve, ejusdem coloris, & a pituita liberum, & alvus parva compacta egerit, plerumque brevi ſervantur; quos febres vero & comitantur, & ſitis, & cibi faſtidium, & pus lividum, & cum virore pallidum, aut pituitoſum, aut ſpumoſum: & alvus inſuper liquida fuerit, moriuntur: at quibus aliqua ex prædictis acceſſerint, aliqua non, horum quidam pereunt, quidam

multo tempore ſervantur: quibus autem in pulmone abſceſſus futuri ſunt, primum ſalſuginoſum ſpuunt, deinde dulcius: quibus in pulmonibus abſceſſus futuri ſunt, pus educunt ad quadraginta dies poſt eruptionem, has vero transgreſſi plerumque phthiſici fiunt.

DILUCIDATIO.

Tradit hic textus prognoſin ex decurſu ſputi puris poſt ruptionem adeo perſpicue, ut explanatore non egeant.

Puris hoc ſputum, quo nempe ulcus abſtergitur, non ultra quadraginta dies ab ejus initio fieri debere, ſupra jam dixi, ſi enim numerum quadraginta dierum excedat, phthiſis, experientia teſte, ſequetur certiſſime.

APHOR. 66.

In lateris dolore ſtillatio ſanguinis ex naribus mala eſt.

DILUCIDATIO.

Stillicidium hoc ſanguinis ex naribus ſub primo, id eſt inflammatorio pleuritidis, tum veræ, tum nothæ, reliquarumque affectionum congenerum ſtadio oritur ex eadem cauſa, quæ tot capitis ſymptomata, ut deliria, ſopores &c. producit, ſcilicet ex plenitudine

vaſorum, præſertim ſyſtematis venoſi in capite.

Hæc eadem itaque cauſa ſtillicidii hujus periculoſi hic impeditum ſanguinis per pulmones tranſitum arguit.

APHOR. 67.

Quos ſuppuratos mitius habentes graveolentiæ ſputorum conſequuntur, eos recidiva occidit.

DILUCIDATIO.

Memoratu digniſſimus hic textus loquitur de ſtadio ſputi puris, ſi hi morbi in abſceſſus pectoris abierint, ſubſequentis:

Si enim ægri ſub illo ſputo mitius haber vi-
ſi, inopinato pus mali odoris ſpuant, recidi-
va, id eſt nova, eaque ſymptomatica febris
pectoris inflammatoria timenda eſt, aut phthi-
ſis manifeſta, latente adhuc vomica antiqua,
labefactatum præſertim corpus occidet.

APHOR. 68.

Qui ex pleuriticis exſpuunt purulenta, ſubbilioſa, rotunda, aut purulenta ſubcruenta paulo diutius, pernicioſi, exitio itidem proximi, qui nigra fuliginoſa ſpuunt, & quibus velut a vino nigro ſputa fiunt.

DILUCIDATIO.

Purulenta ſputa præſertim in homine phthiſicæ conditionis antiquum abſceſſum indicant, ſubbilioſa vero, præſertim, ſi magna reſpirandi difficultas conjuncta ſit, gravem in pulmonibus ſanguinis deſignant obicem, ut vix tantillum ſanguinis ultima vaſa eluctari, in cellulas pulmonis atque glanduloſam tracheæ tunicam effundi, & ſic vel modice ſputa tingere poſſit.

In præcedenti deſcriptione jam dixi, ſputa pleuriticorum eſſe extravaſationes ; & mali quidem ominis eſſe, ſi nulla cum malis ſignis ſputa fiant, aut ſi prorſus non ſequantur, aut ſi non in veſiculas, ſed celluloſa veſicularum interſtitia ſanguinis decubitus fiat:

Mali ominis viciſſim ſunt ſputa, ſi nimia contingant.

Sputa rotunda ſunt meræ ſcreationes, & in pleuritide ſic dicta ſicca obſervantur.

Porro ſputa purulenta, ſubcruenta antiquas vomicas;

Nigra vero & fuliginoſa cruentas deſignant vomicas, aut magnam extravaſationem ſanguinis cujus coagula nigrum habent colorem.

APHOR.

APHOR. 69.

Quicunque ſanguinem ſpumoſum ſpuunt, dextrum hypochondrium dolentes, de hepate ſpuunt, & multi pereunt.

DILUCIDATIO.

Difficillimum quidem intellectu hoc effatum, ob bifariam tamen rationem veriſſimum eſt; non enim tantum agit de gravi pectoris inflammatione, quæ ob vaſorum commercia interdum ad tunicas hepatis protenditur, & hepatitidis ſpeciem aliquam producit: ſed etiam de illa ferali hæmophthiſi loquitur, quæ melancholicis confirmatis, ſchirro hepatis alias vel primario, vel ſymptomatico modo laborantibus, accidere ſolet.

Porro hujusmodi ſputum in tympanitide, vel hydrope brevi ante mortem non raro obſervatur.

APHOR. 70.

Quibus, dum ſecantur, pus cœnoſum, & graveolens prodit, plerumque pereunt.

DILUCIDATIO.

Effatum hoc non ſolum ad empyema verum, quod per paracentheſin thoracis apertum, hujusmodi pus exhibent, ſed etiam ad omnes

omnes abſceſſus, qualescunque demum fuerint, pertinet, ſi inciſi pus mali odoris offerant: qui, ſi quandoque exitiales non ſint, ſunt tamen plerumque diuturni & fiſtuloſi.

APHOR. 71.

Quibus a pure ſpecillum coloratur, quaſi ab igne plerumque pereunt.

DILUCIDATIO.

Ad phthiſicos & empycos, hic textus præcipue pertinet:

Quod ſpecilla ſtatim a pure arrodantur, a puris putredine oritur.

APHOR. 72.

In morbis pulmonis valde rubicundæ ſanguinis ſtillæ malum.

DILUCIDATIO.

Textus hic pertinet ad pleuritidem, peripneumoniam, vomicam pulmonum, aſthmata omnia &c. Ratio hic præcipua eſt impeditus ſanguinis per pulmones tranſitus.

Valde rubicundæ hæ ſtillæ eadem quoque de cauſa hic magis ſuſpectæ ſunt, quando in pleuritide gravi, vel etiam peripneumonia

gravi

gravi sanguis vena secta missus non valde, aut plane non inflammatorius apparet, & nihilo tamen minus difficillima respiratio adest: quod autem sanguis vena secta missus non ita, ut alias in morbis his fieri solet, inflammatorius appareat, hoc nullo modo indicium est, quod nihil inflammatorii in sanguine adsit: sed glebæ sanguinis inflammatoriæ maxime in vasis pectoris, pulmonumque hærent, & postea certe, repetitis venæ sectionibus, missus sanguis satis inflammatorius apparebit.

APHOR. 73.

Cum raucedine sputa viscida salsuginosa malum: si vero etiam quid attollatur juxta pectus in his malum: dolores ad collum his attenuatis perniciosi.

DILUCIDATIO.

Effatum hoc pertinet ad omnia pulmonis ulcera, vel ex morbo pectoris inflammatorio, vel aliunde oborta.

APHOR. 74.

Raucedo cum tussi, & alvo liquida pus educit.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet non solum ad ruptionem abscessuum in morbis pectoris in pectore

natorum,

natorum, ſed etiam ad phthiſes pulmonales confirmatas, quæ ante cum tuſſi ſicca, aut ſaltem ſine ſputo puris erant ob vomicas clauſas.

APHOR. 75.

Quibus in peripneumonia urinæ craſſæ in principio, deinde ante quartum diem attenuantur, lethale.

DILUCIDATIO.

Jam alias monui, peripneumoniæ nomine ab Hippocrate omnes morbos pectoris acutos, inflammatoriosque deſignari.

Urina craſſa in principio ſunt fatua illa urinæ coctæ ſimulacra, quæ non uno loco in initiis acutorum morborum ab Hippocrate damnantur.

Urinæ ante quartum diem attenuatæ, & perſpicuæ, vel etiam critinæ denotant magnam vim inflammatoriæ materiæ in ſanguine, oriunturque ex potu, qui ſanguini, ſi denſus ſit, ægre miſcetur, cito per renes dilabente: unde alibi veriſſimum quoque effatum Hippocrates reliquit: Mala eſt urina, quæ poſt potum cito mingitur præſertim pleuriticis, & peripneumonicis.

Per-

Perniciofa quoque eſt iisdem urina, quæ in principio quidem cocta eſt, poſt quartum vero diem attenuatur: id quod ipſa praxis confirmat.

Idem valet etiam de aliis febribus inflammatoriis, & exanthematicis.

APHOR. 76.

Qui in peripneumoniis ſiccis paulatim concocta educunt, horrendum id eſt, rubores pluſculum lati in pectoribus his perniciofi.

DILUCIDATIO.

Peripneumonia ſicca hic eſt pleuritis ſicca & vera, perperam a multis negata, quæ quidem cæteris pectoris inflammatoriis morbis rarior eſt, & niſi ſolvatur, in empyema verum, aut in abſceſſus inter muſculos intercoſtales, thoracisque externos abit.

Iſta pauca concocta ſunt ſputa ſcreatu ſaltem ex faucibus prolecta; concocta hinc vocata, quia alba & lentiora ſunt:

Rubores illi pluſculum lati (ut docte aït Aretæus) indicium ſunt gravis internæ inflammationis, quæ extremas arterias intercoſtales, ad externos thoracis muſculos porrectas, occupavit.

APHOR. 77.

Lateris dolor in ſputo bilioſo præter rationem evaneſcens mentem emovet.

DILUCIDATIO.

Lateris dolor, & pleuritis non uno loco ab Hippocrate diſtinguuntur:

Hic vero textus præcipue pertinet ad rheumatismum acutum, qui cum pleuritide ſic dicta notha ſæpe conjungitur, atque evanescente dolore citra rationem, id eſt repulſis maſſis inflammatoriis, reſorptisque, & ad cerebrum relatis, deliria efficit.

APHOR. 78.

Febres intermittentes ob ſuppurationem plerumque ſunt ſudoriferæ.

DILUCIDATIO.

Textus hic manifeſte pertinet ad phthiſes quascunque, inter initia adhuc verſatas; his enim ſemper conjuncta febris eſt, quæ in initio ob levitatem, præſertim ob horrores ſimul invadentes febris intermittens videtur.

Hunc textum alibi quoque Hippocrates declarat, ubi illos, qui frequenter cum horroribus ſudant, phthiſicos eſſe docet.

APHOR.

APHOR. 79.

Empyicis oborta ſurditas deſignat ſanguinolentum ſeceſſum, his circa finem nigra prodeunt.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad febrem ſecundam, eamque ſuppuratoriam ex pleuritide vel pleuropneumonia ortam, quæ, ut ſupra dixi, intra quadraginta dies pus collectum expurgare debet, ſi enim longius procedatur, hoc ipſum phœnomenon in praxi ſæpe obſervari ſolet: ſcilicet alvum cruentam prægreſſa ſurditate, quæ aliquot diebus durare ſolet, inſequi, & finem vitæ appropinquare.

Nigra illa ſunt cruoris ſecedentis coagula.

APHOR. 80.

Lateris dolor cum febre diuturna ſignificat puris eductionem fore.

DILUCIDATIO.

Et hic textus ad phthiſin occultam ex latente pulmonum vomica enatam pertinet: nam lateris dolor ex illo ipſo abſceſſu oboritur, cujus ſatelles illa diuturna febris eſt.

APHOR. 81.

Horrore affecti frequenter perveniunt ad ſuppurationem, febris hos ad ſuppurationem perducit.

DI-

DILUCIDATIO.

Hic textus referendus eſt ad diſpoſitiones phthiſicas:

Febris hoc homines ad ſuppurationem perducere dicitur, quia ejus diuturnitas, & præſentia ſine alia cauſa merito latentis cujusdam & enaſcentis abſceſſus, quem febris efficit, ſuſpicionem movet.

APHOR. 82.

Quibus cum dolore lateris appetitus eſt proſtratio, ſubinde cardialgici, ſudoroſi, flores habentes in facie, & alvum fluxiorem, his ſuppurationes in pulmone ſunt.

DILUCIDATIO.

Incomparabilis hic textus eſt ad dignoſcendas phthiſes occultas:

Flores faciei ſunt rubores iſti genarum, circumſcripti circa oſſa maxillarum, & proceſſum zygomaticum.

Sudoroſi dicuntur, quia mane potiſſimum citra aliam cauſam nimium ſudant: alvus fluxior in his per ſe patet.

APHOR. 83.

Maxime periclitantur, quibus ſanguinis vomitus (id eſt hæmophthiſis) febris multa,

&

& dolor circa mammam, thoracem, & dorſum. quibus hæc omnia fiunt, brevi moriuntur, quibus autem non omnia, neque valde tardius: inflammati autem fiunt ad ſummum diebus quatuordecim.

DILUCIDATIO.

Hoc loco non vomitus ſanguinis proprie dictus, ſed hæmophthiſis eſt intelligenda, cujus hæc ipſa eſt luculentiſſima prognoſis in hoc textu propoſita.

APHOR. 84.

Sanguinem ſpuentibus convenit eſſe ſine febre, & tuſſire, ac dolere leviter, & ſputum craſſeſcere ad dies bis ſeptem: febrire vero, & tuſſire jugiter, & ſanguinem recentem ſemper ſpuere non commodum.

DILUCIDATIO.

Prognoſis hæc eſt optima ad dijudicandas hæmophthiſes.

APHOR. 85.

Quibus latus ſublime eſt, ſive tumet, & calidius eſt, ſi, poſtquam inclinaverint ſe in alterutrum, gravitas hæc videtur immiſſa, his in una parte pus eſt.

DILUCIDATIO.

Incomparabilis hic textus pertinet ad empyicos, ſive ex pleuritide, ſive ex hæmophthiſi, ſive ex variolis ſimilive alia cauſa, ut thoracis vulnere empyema ortum ſit:

Scilicet inter hæc ſigna in alterutro thoracis cavo pus adeſt.

APHOR. 86.

Pulmone ſuppuratis pus per alvum ſecedere lethale eſt.

DILUCIDATIO.

Memorabilis de omnibus phthiſicis confirmatis prognoſis:

Etſi non credam, ex pectore phthiſici pus per alvum ſecedere, quod fieri non poterit, niſi prius ex abſceſſu reſorptum in ſanguinem, cum eodem longiſſimas ancipitesque circuli ambages obeat:

Attamen negari non poteſt, quod in hepate plurimorum phthiſicorum arcani ſimul abſceſſus lateant, quin etiam in ipſis eorum inteſtinis non raro quidam abſceſſus inveniantur, unde per alvum illud pus ferri queat: hinc aphoriſmus hic ulteriores adhuc obſervationes merito expoſcit; etſi unum magnus

afferat Galenus exemplum de empyico, cui pus per urinam secesserit, sanato.

APHOR. 87.

Quicunque thorace vulnerati externa parte vulneris sanati sunt, interna non, periclitantur, ne empyi fiant, quibus autem debilis cicatrix inducta est, facile refringitur:

DILUCIDATIO.

Textus hic intellectu perspicuus est.

APHOR. 88.

Ex peripneumonicis suppurationibus pereunt magis seniores, ex reliquis juvenes.

DILUCIDATIO.

Experientia ipsa confirmatur hic aphorismus;

Facilius enim ex pleuritide, consimilibusque morbis emergunt juvenes, etsi ad ipsum stadium suppuratorium progressi, quam seniores:

Vicissim innumeri infantes ex variolis, aut alia exanthematica febre, maxime morbillis, quin tussi convulsiva empyici pereunt.

APHOR.

APHOR. 89.

Quibus empyicis, dum concutiuntur, inde ab humeris multus fit strepitus, minus puris habent, quam quibus exiguus strepitus fit, ac ceterum melius spirant, meliorisque coloris sunt hi posteriores, quibus vero strepitus ne quidem fit ullus, sed difficultas spirandi multa est, & ungues lividi sunt, hi pleni pure sunt, & desperati.

DILUCIDATIO.

Præclara & satis perspicua empyicorum, undecunque obortum sit empyema, prognosis.

APHOR. 90.

Vomentes sanguinem spumosum, non existente dolore infra diaphragma, vomunt de pulmone, & quibus vena major rupta fuerit, multum vomunt, inque periculo versantur, quibus vero minor, minus educunt sanguinis, suntque securiores.

DILUCIDATIO.

Ad diagnosin, & prognosin hæmophthisis hæc pertinent.

APHOR. 91.

Quibus phthisicis sputum in ignem dejectum graviter olet, & capilli ex capite defluunt, hi pereunt: quibus phthisicis in aquam spu-

ſpuentibus ad fundum cadit pus, brevi pereunt: quibus phthiſicis capilli ex capite defluunt, moriuntur ex profluvio alvi, & quibus phthiſicis accedunt profluvia alvi, moriuntur.

DILUCIDATIO.

De phthiſicis confirmatis hic textus loquitur.

APHOR. 92.

In tabeſcentibus ſputa ſuppreſſa levia deliria inducunt, ſpes eſt his apparituram hæmorrhoidem.

DILUCIDATIO.

Per tabeſcentes hic intelliguntur ii, quibus ſunt phthiſicæ diſpoſitiones: ſuppreſſis ſputis febricula conjuncta invaleſcit ad levia usque deliria, hæc indicant hoc caſu acutam inflammationem: ſubinde docet experientia levamen afferri per hæmorrhoides; plerique ſcilicet, qui quaſi hæreditario modo, non vero ex aliquo prægreſſo morbo phthiſici ſunt, ſolent eſſe ſimul hæmorrhoidarii.

APHOR. 93.

Tabes periculoſiſſimæ, quæ ſunt ex ruptione venarum majorum, itemque ex catharro de capite defluente.

DILUCIDATIO.

Textus hujus pars primaria loquitur de phthisi ex graviore hæmophthisi, quod vero attinet ad phthisin ex catharris: probe notandum est, sæpe pro catharro fallere solere peripneumonias nothas, aut in mortem, aut in ulcera pulmonum abituras.

Quoties igitur auctores mentionem faciunt de phthisi ex catharro, certissimum esse potest nullum catharrum, quomodocunque demum explicetur, phthisis illius causam fuisse, sed peripneumoniam quandam, vel pleuropneumoniam, præsertim leviorem, & pro tussi catharrali habitam; phthisi originem dedisse.

Frequentissime profecto peripneumoniæ, vel pleuropneumoniæ hujusmodi leviores pro catharris, tussique catharrali medicos fallere solent.

APHOR. 94.

Ætates periculosissimæ ad phthisin sunt ab anno vicesimo octavo ad trigesimum quintum.

DILUCIDATIO.

Eadem repetit Hippocrates Sect. 3tia Aphorismor.

Ætati juvenili ſcilicet, ob intemperantiam ejus ætatis phthiſes ſolent eſſe infeſtiores: maxima vero cauſa eſt, ſi in hac ætate hæreditaria quædam proclivitas ad phthiſin lateat.

Periculoſiſſimas huic ætati phthiſes jure dicit Hippocrates, & cum majori vitæ diſcrimine conjunctas, quam in ſenioribus.

Nam ulcera pulmonum in juvenibus crudiora ſemper ſunt, celerius proſerpunt, & facilius, frequentiusque inflammantur; pulmonum autem in ſenioribus ulcera calloſa, & fiſtuloſa ſunt: unde a quadrageſimo anno, vel tardius oborta phthiſis ad ſeram usque ſenectutem perſæpe durat, neque ita celeriter ætate provectiores, ac juvenes necat.

APHOR. 95.

Pruriginoſa corpora poſt alvum ſuppreſſam in phthiſicis malum.

DILUCIDATIO.

Et hic textus quotidiana confirmatur experientia:

Pruriginoſa corpora ſunt, quæ exanthematum purpuræ ſimilium imaginem referunt,

quæ quidem non totum corpus, ſed brachiorum ſaltem, aut crurum partem, aut circumſcriptum quendam dorſi, truncique corporis locum occupant, id quod alibi Hippocrates vocat puſtulis corporis affici.

Hæc rubra exanthemata omnibus ſpeciebus phthiſeos confirmatioris & plerumque in illis, quibus alvus ſegnior, ſive tardior eſt, frequentia, & non raro ad mortem usque comites ſunt, aut etiam (teſte experientia) viciſſim evaneſcunt, redeuntque.

APHOR. 96.

In habitibus phthiſicis cum febre defluxus in gingivas, & dentes decumbere viſi malum.

DILUCIDATIO.

Conſtitutionis phthiſicæ hominibus hoc malum familiare eſſe in praxi deprehenditur, quod perſæpe ſeroſo tonſillarum, uvulæ, glandularumque in faucibus, gingivarum etiam tumore, quaſi catharri cujusdam ſpecie afficiantur: ſane malum hoc eſt, & plerumque aut modo præſentem, aut certe erupturam phthiſin deſignat.

APHOR. 97.

Generatim hypochondrii ſublimia, & tumida mala ſunt, peſſima autem in phthiſicis.

DI-

DILUCIDATIO.

Sicut in febribus acutis hypochondria tumida, tenſa, dolentia mali ſane ominis ſunt, etſi ſignum hoc nimis hodie negligatur: ita eadem maxime in phthiſicis, teſte experientia, ſignum ſunt mortis non diu abfuturæ.

APHOR. 98.

Ex his, qui diuturna tabe colliquati ſunt, perniciofum eſt, hypochondria tumida & ſublimia eſſe, quidam horum ante mortem rigent.

DILUCIDATIO.

Obſcuriſſimus hic textus non aliter, niſi ſtudioſiore experientia declarari poteſt.

Sic enim intelligendus erit: phthiſicis deſperatis exitiale (ut jam dixi) ſignum ſunt hypochondria tumida; phthiſici enim ante finem vitæ acutius febriunt febre lenta in acutam verſa, cujus initium hic ipſe rigor eſt, qui non ſolum primam acutæ febris exacerbationem, ſed etiam reliquas exacerbationes ita præcedere ſolet, ut medicum non ſatis expertum febris intermittentis ſpecie fallere poſſit.

Et ſane tam acute phthiſici ante mortem ſolent febrire, ut delirare quoque inſtar alio-
rum

rum acute febrientium ſoleant, quod Hippocrates alibi præſertim in epidemiis præclariſſime notat.

APHOR. 99.

Puſtulæ aſperæ, & quaſi per vibices erumpentes, ſignificant habitum tabificum.

DILUCIDATIO.

Textus hic, reliquis reſpondentibus ſignis, manifeſte ad phthiſin pertinet.

APHOR. 100.

Quicunque in phthiſi difficulter ſpirant, cumque ſibilo, multaque cruda educunt, deſperati ſunt.

DILUCIDATIO.

Utiliſſima phthiſeos confirmatæ prognoſis: cruda hic dicuntur ſputa, quæ ſunt ichoroſa, & varios colores habent.

APHOR. 101.

Quibus hepaticis multum eſt ſputum cruentum, vel ſubputridum, vel flavum meracius, brevi pernitioſum.

DILUCIDATIO.

Hic textus intellectu quidem difficillimus apparet, ſed duce experientia non multum negotii affert.

He-

Hepatici enim hic ſunt omnes, qui morbo quodam chronico cum vitio reditus ſanguinis per hepar, viſcerumque imi ventris conjuncto laborant: tales ſunt hypochondriaci, obfirmati melancholici, maniaci, ipſi etiam hydropici, & icterici &c.

Porro experientia docet, in morbis his confirmatis aliquando accedere ſputum cruentum, aut ſimile quid, quod mortem, ut ſupra dixi, non longe antecedere ſolet:

Prius vero aut parcæ ſanguinis ſtillæ ex naribus cadunt, aut quod probe notandum eſt, etiam per ſedes, veſicamque emittuntur: quæ omnia ſuccumbentis inter inania luctamina naturæ indicia ſunt.

Sputa vero illa cruenta ex pulmone, utpote regia ſanguinis in his caſibus corrupti via, tandem ſimul infecto oboriri, non ſecus, ac phthiſes v. g. ex abortu, aut ulcere uteri ortas, tandem in ulcus pulmonale degenerare & experientia, & ſana convictus ratione affirmo.

APHOR. 102.

In hepaticis colliquatio corporis cum raucedine malum, tum alias, tum ſi ſimul leviter tuſſiant.

DI-

DILUCIDATIO.

Hic textus ex ante dictis lucem ſatis copioſam accipit.

APHOR. 103.

Lienteriæ cum difficultate ſpirandi, & punctura lateris deſinunt in tabem.

DILUCIDATIO.

Phthiſicæ conſtitutionis homines ſæpe obnoxii ſunt diarrhœis, frequenter tam vehementibus, ut cibi non mutati reddantur: his reſpirandi difficultas, ſenſusque fugitivi puncturæ cujusdam in thorace, ſolent eſſe conjuncti, & tabem vel phthiſin imminere indicant.

APHOR. 104.

Ex mania ad raucedinem cum tuſſi fit disceſſus.

DILUCIDATIO.

Phrenitici & maniaci præſertim in paroxismo ſunt ſimul peripneumonici, unde raucedo & tuſſis lethale quid portendere poſſunt, niſi ſanguis copioſe ſatis mittatur, aut niſi hæmophthiſis conſequens peripneumoniam hanc levet: & hæc eſt illa hæmophthiſis, quam quibusdam maniacis ſalutarem fuiſſe apud auctores legimus: idem acuratior praxis confirmat.

APHOR.

APHOR. 105.

Erectum ſedere velle malum in acutis, peſſimum in peripneumonicis & pleuriticis.

DILUCIDATIO.

Erectum ſedere velle ægrum increſcente, & vigente morbo, malum eſt in omnibus acutis, peſſimum in peripneumonicis, quod experientia omnino confirmat.

Ratio hujus facile patet; hæc enim erectæ ſeſſionis affectatio difficultatem reſpirandi, & impeditum ſanguinis per pulmones tranſitum arguit.

APHOR. 106.

Hi morbi non fiunt ante pubertatem peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix circa tibiam, fluxus ſanguinis, cancer non congenitus, vitiligo leucæ non congenita, catharrus ſpinalis, hæmorrhoides, chordapſus, ilei ſpecies, non cognatus: verum horum morborum nullum ante pubertatem exſpectandum eſt fore; ſed ab anno duodecimo uſque ad quadrageſimum ſecundum natura corporis morborum omnis generis ferax: rurſus ab hac ætate uſque ad annum ſexageſimum tertium non fiunt ſtrumæ, neque lapis in veſica, niſi prius ineſſe contigerit, neque defluxus medullæ ſpinalis, tabes dorſalis, ne-

que nephritis, nisi ex alia ætate consequantur, neque hæmorrhoides, neque fluxus sanguineus, nisi prius fuerint: hi morbi absunt usque ad senectutem.

DILUCIDATIO.

Hic textus sagacissimi Hippocratis limitibus quibusdam eget præsertim de morbis ante pubertatem, reliqua notatu dignissima sunt. Tempore Hippocratis quidem ob discrimen nutrimenti morbi isti ante pubertatem non contingebant, nostro vero tempore immunes non sunt infantes a peripneumonia, a pleuritide, a nephritide; quin verissimæ hæmorrhoides, sed privata, & hæreditaria de causa in ætate etiam tenerrima observantur.

APHOR. 107.

Respirationes cum suspiriis, & colliquatio corporis citra rationem uterum gerentes abortire facit.

DILUCIDATIO.

Verissima abortus inter alia signa prognosis.

APHOR. 108.

Prægnantibus phthisicæ conditionis, quibus rubor in facie oboritur, sanguinis ex naribus stillicidia hunc avertunt.

DI-

DILUCIDATIO.

Circumſcriptum genarum ruborem phthiſicæ conſtitutioni familiarem eſſe, ſi alia ſigna conſentiant, ſupra dixi; hic vero rubor narium hæmorrhagia monente Hippocrate ſolvitur; ſed ipſa conſtitutio phthiſica nihil inde levamenti accipit:

Interim ex hoc textu patet, indefatigabilem in obſervando Hippocratem ad minima attendiſſe.

APHOR. 80.

Quæ ſuſpirioſum ſpiritum in oculis efferunt, abortiunt.

DILUCIDATIO.

Præclara prognoſis imminentis abortus:

Si enim febris acuta prægnantes invaſit, tum hic ſuſpirioſus ſpiritus & abortum, & phrenitidem (teſte experientia) denunciat.

APHOR. 110.

Quibus puellis orthopnœc contingit, dum uterum geſtant, his mammæ ſuppurantur.

DILUCIDATIO.

Orthopnœa puellis, id eſt, junioribus fœminis uterum geſtantibus contingens, diffici-

liorem ſanguinis per pulmones circulum denotat; hinc plethora partialis vaſorum pectoris oritur: quando deinde pepererint, mammæ eadem de cauſa facile ſuppurant.

APHOR. 111.

Mala eſt urina in acutis, quæ cito poſt potum mingitur, præſertim pleuriticis, & peripneumonicis.

DILUCIDATIO.

Aureum effatum: urinæ enim a potu celeriter fuſæ in acutis, & inflammatoriis febribus, certum ſunt indicium ſanguinis valde inflammatorii, & gelatina inflammatoria abundantis, qui potum non facile retinet, ſed protinus dimittit.

APHOR. 112.

Mala urina, quæ ante rigorem mingitur, oleoſa.

DILUCIDATIO.

Rigor in acutis febribus poſt earum initia incidens, varia portendit, ut ſupra dixi, generatim autem initium eſt febris novæ: emiſſa ante hunc rigorem oleoſa urina plerumque magnam materiæ heterogeneæ copiam in ſanguine adeſſe indicat, & præcipue in corpore ad febres lentas diſpoſito phthiſeos metu non caret.

APHOR.

APHOR. 113.

Malæ in acutis urinæ ſubvirides, & nullius certe coloris.

DILUCIDATIO.

Notatu digniſſimus hic textus eſt: ubi enim decolor ejusmodi urina adeſt, juſte arguimus, magnam ſanguinis in genere dyſcraſiam adeſſe, ſanguinemque fortaſſis jam incipere lethali putredine ſolvi.

APHOR. 114.

Peripneumonicis pernitioſa eſt urina, quæ in principio cocta eſt, poſt quartum vero diem attenuatur: pleuriticis cruenta urina caliginoſa cum varia hypoſtaſi indiſcreta lethalis eſt, plerumque diebus quatuordecim lethalis, item in pleuriticis, & quidem brevi, quæ ſubviridis eſt, nigram habens ſubſidentiam, aut furfuraceam.

DILUCIDATIO.

Valde præclara effata hæc ſunt: nota tamen peripneumonicos & pleuriticos hic promiſcue intelligendos eſſe.

Urina initio cocta deinde cruda apparet in illis pleuritidis, & peripneumoniæ ſpeciebus, in quibus (ut alibi ait Hippocrates) dolores

initio

initio molles, vel anxietates leves ſunt, quinta vero, vel ſexta die exacerbantur.

Urinæ cruentæ in pleuriticis plerumque lethalem morbum deſignant, excipiam hic unum vel alterum ſalubre exemplum.

Idem ſcilicet hic valet de hac cruenta urina, quod de ſanguine atro coagulato, qui in phreniticorum urinis interdum ſimili modo obſervari ſolet:

Si iſtiusmodi urina copioſa ſit, & multum ſanguinis cum eadem ſimul fundatur, tunc bona erit.

Non vero bona eſt illa urina, quæ hic deſcribitur tantummodo cruenta;

Cruenta enim, & atra, & diſſimilem ſubſidentiam habens urina, deſignat non ſatis ſanguinis per has vias ad levamen exiiſſe, adeoque luctantem naturam eſſe ſuccubituram.

Multi præterea pleuritici eam vaſorum pelvis, & abdominis conformationem habent, quam diſpoſitionem quandam hæmorrhoidariam dicimus; his ſimul non infrequens phrenitis ſymptomatica eſt.

Porro experientia accuratior docet profuſum cruoris per alvum & veſicam profluvium phre-

phreniticis eſſe ſalubre, mali vero ominis eſſe exigua ſanguinis per has vias veſtigia:

Si nunc cum profuſiore ejusmodi ſanguinis profluvio unum vel alterum pleuriticum ſervatum fuiſſe apud auctores legamus, pro certo haberi poteſt, vel hunc ægrum pleuritide illa, quam aliis locis Hippocrates pleuritidem ex dorſo, id eſt cum rheumatismo congenere morbo conjunctam nuncupat, laboraſſe, vel pleuritidi phrenitidem ſymptomaticam acceſſiſſe:

Hæ enim ſpecies pleuritidum aliquando per profuſiores ſanguinis fluxus (teſte experientia) vindicantur.

APHOR. 115.

Urina, quæ multo poſt tempore cruda manet, inter alia ſalutaria ſigna denuntiat abſceſſum, & dolorem, & magis in partibus ſub diaphragmate, ſi vero erronei dolores in lumbis fuerint ad coxam, & in febre & ſine febre.

DILUCIDATIO.

Præclariſſimum præſagium abſceſſuum ex urina, explanatione non egens.

APHOR.

APHOR. 116.

Urina cocta, quæ pinguedinem habet in ſubſidentia, ſignificat febrem.

DILUCIDATIO.

Conferantur, quæ de oleoſa urina ante rigorem, qui generatim variarum febrium initium eſt, emiſſa ſuperius Aphor. 112. explanavi.

APHOR. 117.

Urina telas aranearum veluti in ſuperficie habens, colliquationem ſignificat.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad febres longas, & phthiſicas.

APHOR. 118.

In pleuriticis urina valde rubra, habens ſubſidentiam levem, deſignat criſin ſecuram, ſubviridis vero, & florulenta, habens albam hypoſtaſin, & craſſam, itidem celerem criſin, valde vero rubra & florulenta, habens ſubviridem & levem ſubſidentiam, non mixtam, valde diuturnum morbum, & turbulentum, tranſeuntem in alium, non tamen perniciosum.

DILUCIDATIO.

Valde præclara, & paucis exceptis perſpicua effata hæc ſunt:

Urina

Urina florulenta eſt urina ſpumoſa, qualis ſudorem ſolutorium apprime deſignare ſolet:

Sed urina valde rubra & ſpumoſa aut florulenta non ſolum pertinet ad pleuritidem in febrem lentam abituram, ſed etiam ad omnes acutas febres, quæ in febrem longam degeneraturæ ſunt.

APHOR. 119.

Urinæ ſub abſceſſibus juxta aures ſubito & modice coctæ malum, & ſic perfrigeratum eſſe malum.

DILUCIDATIO.

Hic textus pertinet ad abſceſſus criſi imperfecta in febribus acutis accedentes:

Urinæ cito, & modice coctæ cum perfrigerio non ſufficientem criſin per abſceſſum factam eſſe, & novam inſtare febrem, cujus initium ille algor eſt, deſignant: tales itaque urinæ aut modo præſentem abſceſſum, aut novum productum iri nuntiant.

APHOR. 120.

Urina in febre habens divulſam denſitatem, aut ſudorem ſignificat, aut recidivam.

DILUCIDATIO.

Denſitas divulſa eſt, cum urina craſſa mingitur turbida, aut brevi turbida futura, ſic, ut illa craſſamenta dehiſcant, & liquoris manifeſta interſtitia ſint; natantibus nihilominus, nec ſubſidentibus illis craſſamentis.

APHOR. 121.

In febre mictiones urinarum ſemper aliarum diuturnitatem efficiunt.

DILUCIDATIO.

Urinæ inconſtantes, & variæ in febre, præſertim non adeo acuta, ex certiſſimis morbi longi ſignis ſunt.

APHOR. 122.

Quibus urinæ cito habent ſubſidentiam, hi cito criſin patiuntur.

DILUCIDATIO.

Cito ſubſidentiam habere hic non eſt de ipſo morbi initio intelligendum; eo enim tempore intempeſtive nimis obvenientia hæc urinarum ſimulacra merito inter mala ſigna Hippocrates refert:

Sed tunc cita ſubſidentia bona eſt, ſi præcipue tempus morbi, ceteraque bona ſigna reſpondeant, concurrantque.

APHOR.

APHOR. 123.

Parva comparere, velut ſtillas ſanguinis, & urinam, & vomitum, & alvi egeſtiones, penitus quidem malum, peſſimum vero, ſi proxime inter ſe ſe prodeant.

DILUCIDATIO.

Hic textus in omnibus febribus acutis vel mortem, vel ſaltem vitæ diſcrimen præſagit.

Vulgare proverbium eſt: paucum nihil criticum eſſe.

Parva illa hic ſunt veſtigia ſanguinis ex naribus; urinæ paucæ cum ſtranguria miſſæ, vomiturítiones crebræ, alvi crebræ, parvæ, & cum tenesmo factæ ejectiones: omnia ejusmodi ſunt ſemper in omnibus febribus tum acutis, tum inflammatoriis peſſima ſigna.

APHOR. 124.

Egeſtio alvi aquoſa ſubtenuis perfrigefaciens non ſine febre exiſtente mala, in his rigores veſicam, & ventrem corripiunt.

DILUCIDATIO.

Textus hic, teſte experientia, non ſolum ad omnes febres phthiſicas conſummatas, ſed etiam ad morbos viſcerum imi ventris chronicos,

nicos, inolitos, & cum febre tabifica conjunctos pertinet.

APHOR. 125.

Egeſtiones alvi, quæ deſinunt in ſpumoſas, vel meracas, generatim ſunt exacerbatoriæ omnino, etiam ſpasmodicis, ex talibus emergunt abſceſſus juxta aures.

DILUCIDATIO.

Præclarus hic textus pertinet ad omnes tum acutos, tum chronicos morbos:

Si excrementa tandem fiunt ſpumoſa, & non mixta, tum generatim exacerbatio, & diuturnitas illius portenditur morbi, qui tum temporis affligit:

Experientia enim docet, quod epileptici brevi ante paroxismum egeſtiones ejusmodi mittere ſoleant:

Neque minus experientia confirmatur, quod inter alia ſigna & hæ ipſæ ſpumoſæ ejectiones abſceſſuum ad aures ſecuturorum veriſſima ſint præſagia.

APHOR. 126.

Egeſtiones valde liquidæ, rurſus compactæ, meracæ, ſtercoraceæ, id eſt molles, & non figuratæ, ſignificant morbi longitudinem.

DILUCIDATIO.

Egregium præſagium diuturnitatis tum in febribus acutis, inflammatoriisque, tum in morbis etiam ſuapte natura longis.

APHOR. 127.

Lethalis eſt omnis excretio, quæ exit ſine ſenſu ægroti.

DILUCIDATIO.

Certum prognoſticum mortis tum in febribus acutis, tum in morbis chronicis, ſi talis adſit excretio.

APHOR. 128.

Poſt alvum liquidam perfrigerium cum ſudore malum.

DILUCIDATIO.

Si ad febres acutas, quarum declinationi quædam conjungitur diarrhœa, perfrigerium accedat, hoc erit initium recidivæ;

Si vero poſt febres longas, & maxime phthiſicas id fiat, ægri a morte non longe ſunt remoti.

APHOR. 129.

Alvi egeſtio pura ſuperveniens ſolvit febrem acutam cum ſudore.

DILUCIDATIO.

Et hic textus pertinet ad febres acutas, & inflammatorias imminentibus criſeos initiis per ſudorem:

Alvi egeſtio pura eſt colore, & denſitate ſani hominis egeſtioni ſimilis, imminente nunc tali criſi excrementa pluſculum denſari ſolent.

APHORISMI AD ANGINAM SPECTANTES.

APHOR. I.

Anginæ, in quibus neque in collo, neque in faucibus aliquid in conſpectum venit, exhibentes vero fortem ſuffocationem, vel ſpiritus difficultatem, eadem, vel tertia die occidunt: quæ vero recipiunt tumores, & ruborem in collo, cæteroquin conſimilia ſunt quidem, ſed diuturniora: quibuscunque vero ſimul rubuerint fauces, & cervix, & pectus, diuturniora ſunt, & maxime ex his ſervantur, niſi rubores intus recurrerint: ſin vero evaneſcant rubores, neque tuberculo foras converſo, neque exſcreato leviter, & ſine dolore pure, neque in diebus criticis, pernitioſæ ſunt, num vero & hi fiunt empyi? ſecuriſſimum autem ruborem, & abſceſſum maxime foras verti.

DI-

DILUCIDATIO.

Notatu dignissima prognosis anginarum:

Recurrens intro rubor designat subituram febrem pectoris, pulmonisque inflammatoriam, unde deinceps empyema oriri poterit.

Per dies criticos non certi designantur dies, sed vigor morbi semper intelligendus est:

Cetera ultro patent.

APHOR. 2.

Erysipelas anginosis foris accedere commodum, intro autem converti lethale; introrsum autem vertitur, cum, evanescente rubore, pectus gravatur, & difficilius æger spirat.

DILUCIDATIO.

Textus hic quoque ultro patet, & proxime præcedentem adhuc uberius declarat.

APHOR. 3.

Quibus anginæ ad pulmonem vertuntur, partim septem diebus pereunt, evadentes vero empyi fiunt, nisi ipsis contingat eductio pituitosa.

DILUCIDATIO.

Et hic textus pertinet ad febrem pectoris inflammatoriam, quæ anginam cum paulo ante memoratis signis consequitur,

Eductio

Eductio pituitoſa hic (teſte experientia) eſt ſpecies quædam ſpontanei ptyalismi, differens a ſcreatu pleuritico.

APHOR. 4.

Quibus per vehementiam ſuffocationis ſtercus derepente alvo ſecedit, lethale.

DILUCIDATIO.

Utiliſſima prognoſis mortis in gravi angina.

APHOR. 5.

In anginis ſputa ſubarida tenuium, malum.

DILUCIDATIO.

Sputa hic memorata inflammationis vehementiam denotant.

APHOR. 6.

Tumores anginoſi in linguis diſparentes citra ſigna pernitioſa, & dolores diſparentes ſine manifeſta cauſa pernitioſi.

DILUCIDATIO.

Et hæc, & ſequentes de angina prognoſes omnino præclaræ ſunt.

Tumor linguæ, citra ſigna diſparens, ægrum aucta in poſterioribus laryngis muſculis inflammatione ſuffocandum; dolores vero, ſine cauſa diſparentes, lethale delirium deſignant.

APHOR.

APHOR. 7.

In anginis, qui non exſpuunt brevi con. cocta, pernitioſi.

DILUCIDATIO.

Per concocta hic non ſputa purulenta, ſed ſputa flava, quin ſubcruenta etiam, ut in pleuritide, intelligenda ſunt; exſpectamus enim in angina ſolutionem, minime vero ſuppurationem:

Quia vero flava & ſubcruenta ſputa, etſi nondum concocta ſint, veriſſimam tamen humoris (ut in pleuropneumonia fit) rupto inflammato vaſe extravaſati ejectionem, ſimulque ſpem inflammationis ſolutu facilioris oſtendunt, ideo ſputa ejusmodi concocta vocantur.

APHOR. 8.

In angina dolores ad caput citra notas cum febre, itemque dolores ad crura ſine ſignis cum febre, pernitioſi.

DILUCIDATIO.

Dolores ad caput imminentem apoplexiam, dolores ad crura lethale delirium præſagiunt:

Citra notas & ſine ſignis hic eſt, quod aliis manifeſtis cauſis non debetur.

APHOR. 9.

Ex anginis ſine criſi dolor præcordii cum torpore & impotentia obortus, occidit occulte, etſi omnino ſe leviter habere putent.

DILUCIDATIO.

Aurea prognoſis quod peripneumonia ſymptomatica, ſi ad anginam accedat, ſubito & inopinato cum febris exacerbatione ſuffocatura ſit apoplectico modo.

APHOR. 10.

Ex anginoſis citra ſigna attenuatis dolor ad pectus, & alvum repente progreſſus egerere facit purulenta, quæ alias non ſolvuntur.

DILUCIDATIO.

Et hæc præclara prognoſis anginæ non acutiſſimæ, quæ inflammatione ad pulmones, vel inteſtina translata, ibi ad abſceſſum ventura ſit.

Pervenit autem ad abſceſſum, quia metaſtaſis illa incautos medicos ſæpe fallit, qui ſolutionem largioribus venæ ſectionibus accelerare potuiſſent, ſi peripneumoniam, vel inflammationem inteſtinorum, quæ hic plerumque levior & inſtar peripneumoniæ nothæ eſſe ſolet, eaque de cauſa fallit, ſucceſſuram crediddiſſent. Atque hæc eſt vera, in praxi confirmata hujus textus explicatio, ſi enim ad pus, in inteſtina reſorptum, aut in aſperam arteriam delapſum interpres quidam in explicatione hujus textus relaberetur, ſane ſe ridiculum ſiſteret.

APHOR. 11.

In angina omnia ſunt pernitioſa, quæ non manifeſtum dolorem faciunt, ſed & ad crura efferunt ſe ſe diuturni dolores, qui difficulter ſuppurant.

DILUCIDATIO.

Quæ manifeſtum dolorem non habent, ideo dicuntur hic pernitioſa, quia delirium portendunt, & delirium hoc gravato ob impeditum ſanguinis per pulmones tranſitum capite exortum, ſuffocationis apoplecticæ prodromus eſt:

Dolores diuturni ad crura, anginæ imperfecte ſolutæ ad aliquos femoris, crurumque vel pedum muſculos, horumque interſtitia metaſtaſin denotant:

In angina non celerrima non ſecus ac in pleuritide, aliisque inflammatoriis morbis eædem metaſtaſes poſt imperfectiores criſes fiunt:

Dolores hi inflammationem abſceſſumque denotant; ſed quia tardiſſime apparatus hujusmodi inflammatorius abſolvi ſolet, difficulter ſuppurare dicuntur.

APHOR. 12.

Ex angina ſputa viſcoſa, craſſa, valde alba, violenter educta, mala; & omnis ejusmodi maturatio mala, purgatio multa deorſum, tales perimit apoplectico modo.

DILUCIDATIO.

Mala ſunt talia ſputa; gravem enim indicant inflammationem: violenter educi dicuntur, quia gravi conniſu exſcreantur: maturatio, ſive coc-

tio his tribuitur ideo, quia (quod probe notandum eſt) hac voce veteres de ejectione omnis humoris ante vigorem morbi ſæpe utebantur: ejusmodi maturatio ideo hic mala dicitur, quia ad coctionem; id eſt ad criſin, talia ſputa non pervenient, ſed homo ante maturationem hanc plerumque ſuffocabitur: purgatio illa, eſt memorabilis illa diarrhœa, quæ in angina non ſecus ac in pleuritide paulo ante mortem oritur, & inteſtinorum paralyſin indicat: & ſub hac ipſa purgatione ægri apoplectico modo moriuntur.

APHOR. 13.

Ex angina ſubarida frequentia ſputa cum tuſſi, laterisque dolore pernitioſa, itemque ſi quis inter bibendum ſubtuſſiat & difficulter potum deglutiat, malum.

DILUCIDATIO.

Aurea prognoſis; indicat enim vehementem pleuritidem ſymptomaticam anginæ acutiſſimæ conjungi.

Expoſui jam ducentos quinquaginta Hippocratis Aphorismos, quos omnes ipſis meis obſervationibus conſentaneos eſſe animadverti.

Dilucidationibus his puto me ſapientiſſimi ſenis mentem eſſe aſſecutum: opto, ut illæ in tyronum medicorum utilitatem & felicitatem publicam cedant.

Dabam Monaſterii die 2da Maji 1789.

FERD. SAALMANN,

Medicinæ Doctor.